


6
B
5
NAZIONALE
EMANUEL

Triſmegiſtus Mediceus,

S I V E

LEO X. P. O. M.

tribus Orationibus in anniuerſario triennij funere laudatus:

A B

IACOBO ALBANO GHIBBESIO,

MED: DOCT.

atquè in Romana Sapientia Eloq: Prof.





R O M AE,

Typis Dragondellianis, M. DC. LXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patr. Mag. Sac. Pal. Apostolici.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Seraphinus Bertollinus Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Raimundi Capisucci, Sacri Palatij Apostolici Magistri, Ord. Præd.



AD SERENISSIMVM PRINCIPEM, FERDINANDVM II. *MAGNVM HETRVRIAE DVCEM.*





EONEM Decimum, Pont.Max. Laurentij atavi tui æmulum filium, MAGNANIME FERDINANDE, orbis ipsum Christiani deindè patrem sanctissimum atq; optimum, qui gentem Mediceam in

hanc tantam, quam iustâ religione colimus, nec sine admiratione intuemur, augustæ dignitatis magnitudinem ac nominis felici virtute prouexit, Tibi ego potissimùm, hæredi atquè amplificatori gloriæ tam illustris, exiguâ istâ trium Laudationum tabellâ repræsentare decreui. Fuêre hæ Romana in vrbe, cœlestis illius præfecturæ imperij solio ac sede, non inuitâ Mineruâ, vt opinor, à me conceptæ, mòx etiam in Lyceo extructo ab eodem planè regificè, per triennium anniuersarij recurrentis funeris continuum summâ frequentiâ desiderioq; Quiritium & aduenarum omnis generis recitatæ. Ac primas quidem conciones duas dedicaui sigillatim totidem è sacro Patrum purpuratorum Collegio delectissiviris, Bernardino Spadę ac Sfortiæ Pallauicino, propter quãdam cum LEONE vel naturæ conueni-
enti-

entiam, vel similitudinem studiorum (quid enim poterat fieri melius?) iam cùm accessit ad eas tertia, cui numero Magi semper AEgyptij perfectionis sũmam induxerunt, non ampliùs singulis singulas hominibus offerre, sed omnes alicui Geryoni, qui trium veluti cordium particeps foret, hoc est, vsquequaq; putaretur absolutus, certum erat addicere.

Ecquis autem, nisi è MEDICIS quispiam, vt carmen Homericum vaticinij obtineret locum, supplere multos posset vnus? Tu enimuerò supra cæteros vt regni authoritate longè princeps, ità ductu ac iure clarissimæ familiæ, gentili adeò possessione virtutis πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων eminebas. Quantum, Deus bone, instar in te! seù veriùs, quantus excessus auitæ laudis! Quæ decora summos viros maiores tuos, quæ orna-

menta principes exteros vllâ memoriâ vel ætate beatos atq; ſpectabiles etiam diuiſa reddidêre, Coſmum illum Magnum, patrem patriæ cognominatum, claritatis Solem veſtræ, prudentia, doctrina Laurentium, LEONEM magnitudo animi, moderatio Clementem, tùm Ariſtidem iuſtitia, grauitas Lycurgum, vtrumq; fortitudo Macedonem, conſtantia Pompeium, fortuna Cæſarem, affabilitas Titum, hæc Tu collecta generoſiſſimo pectore, quaſi Deorum Pandoræ pyxide incluſa dona, tenes mirabiliter.

Cùm eiuſmodi Te virtutibus eximiis, ac planè regijs illuſtrem veneramur, tùm nullam interim humanarum artium partem negligere, manu etiam admotâ perſæpè, ſuſpicimus. Amas eos laudaſquè (nè rerum opifices humiliorum percenſeam) qui tenent cum

Or-

Orpheo plectrum, cum Graccho fistulam, cum Archimede radium, cum Vitruuio perpẽdiculum; qui exquirunt tempora cum Thalete, numeros cum Chrysippo, mensuras cum Euclide, atomos & mundos cum Democrito. Vndè mihi firma spes affulsit, si quicquid hoc est opusculi, pignus quidem certè (quale id cunq; est) officiosi obsequij, quod iampridèm debeo; sub tutelâ tui nominis ederetur, promptum cum dextrâ patrocinium inueniendi.

Sed næ ego rhetor importunus, tibiquè meritò grauis & ominosus videri possim, qui alienissimo tempore gaudia tua duplicem ob prolem cumulata domestici luctûs recordatione funestẽ. Quid enim habet commune cum ineunte vitâ, quam in suscepto nuper filiolo post duodeuiginti annorum tarditatem gratulari potiùs oportebat, na-

turæ finis? quid cum lætiſſimo coniugio alterius filij, pleni iuuenis maieſtate, non Hæredis Hetruriæ magis, quàm vultus & ingenij tui, cum regali virgine Borboniæ ſtirpis contracto, diſſolutio per mortem ſocietatis omnis? Scitum eſt vetus illud, Seruiendum ſcenę. Nec oraculũ profectò Appollinis, Noſce teipſum, plus complecti videtur, quàm Noſce tempus, præceptum Sapientis. At nunc tot cauſas hilaritatis vel minimâ doloris aſpergi gutta nemo prudens iudicabit non rationi diſſentaneum. Certè: qui non idem ratiocinari perindè volet, vt ego ipſe hoc offerens munus, iudicio ſapientiſſimorum hominum doctus, intelligo. Nego primùm præclaros viros mori vnquàm; ſed vitam permutare. Nomen tantùm habet mortis illorum occaſus, qui ſtatim reſurgunt ad immortalitatem. Quid

ergò?

ergò? neq; oratio igitur in laudem Herois alicuius vitâ functi lugubris duci debet, ſed præconium. Hîc de ipſo commemorantur omnia, quęcunq; de viuo prędicabantur. Ecquidnam verò à lamentatione poteſt abeſſe longiùs gloriosè factorum dictorumquè acröamate ſuaui & canoro?

Quocircà illud mihi potiùs elaborandum videtur, meï conſilij rationem in dedicando, quam non iniuriâ fortaſſis ambitioſi animi nimiam fiduciam quis vocauerit, aut inconſiderati temeritatem, vt approbem Tibi. Multæ me ad id graueſq; cauſę compulerunt tum communes, tum priuatæ; quas tamen, nè ſim longior, ad duo capita reuocabo; amorem in populares meos perpetuum tuum, & ſerenis illis temporibus, & hiſce vltimis turbatæ Britanniæ procellis demonſtratum, quibus Tu cun-

ctis

ctis Hetruriam, paulò etiam honestioribus Regiam tuam, iucundissimum vel secessum vel perfugium esse voluisti; deindè honorem mihi ipsi (quod erat alterum caput) à Duce Francisco Mutinam euocato filij erudiendi gratiâ (heu! Almerici acerbæ memorię) singulari quodam modo, dùm illàc transirem, nil tale merenti habitum. Pròh Superi! quæ admissionis facilitas iterùm ac sæpiùs ad præsentiam! admisso quanta sermonis declarata comitas! quàm liberalis officiorum recedenti pollicitatio! De quibus rebus quotiês cogito, cogito autem sæpissimè, toties Tibi, quod Tacito plaudi solitum accepimus prę-stantissimo imperatori, venit in mentem acclamare; Quis meliùs imperat, quàm literatus? Sed istam gratiam non meritorum meorum, vt dixi, verùm literarum Cardinalis Spadæ, peramantis

tis patroni mei, censeo commendationi magnâ ex parte referendã. Quanquàm mihi (absit verbo arrogantia) non nihil etiam, vt doctrinarum sectatori, pro eximiâ tuâ, quâ ferris in id genus homines, voluntate, licèt venissem vacuus, poteram ipse, opinor, de Te promittere.

Vtùt se res habet, huic Academię saltem gratulor Romanæ Sapientiæ, in quâ personam, àn numerum facio aliquem, quòd studij annui sui Iusta LEONI Pontifici Maximo summâ sacrorum celebritate persoluẽdi, testificationemq; grati animi propter ingentia beneficia authori optimo nunquàm intermissâ laudatione,

Ex quo reliquias, diuiniq; ossa Parentis
Condidimus terra ——

luculenter ostendendi, Te, DVX INCLYTE, perquàm munificum ex eadem pro-

proſapia lõgo interuallo nacta ſit adiutorem. Nam ſicùt immortalia tanti Patrui promerita ſemper in oculis gerimus, & quaſi comprehenſa manibus tenemus, ità recordatione diuinę virtutis cum ſumma liberalitate coniunctę, quam hęres adijſti, illum nos adhuc in Te ſuperſtitem ac viuum intueri credimus. Quemadmodùm igitur exiſtis ei cętera ſimillimus, non committes, vt in hac parte fœtum quantulicunq; ingenij benignè accipiendi defeciſſe videaris. Habe munus, obſeruantiæ teſſeram in Te meæ, vt à Sapientię ſchola, non indignum; vt à cliente olim hodiequè tuo, periucundum; vt à pręcelſę dignitati tuæ deuotiſſimo, officij plenum; vt à gentilis LEONIS tui debitore, Tibi deuinctum penitùs & obſtrictum. Deus Te tali mente, qualem concepimus, erga rei quà publicę, quà lite-

literariæ commoda diù florentem atq; incolumem conſeruet.

Romæ, Ex ædib. Eminentiſs. Card. Bern: Spadæ. Kal. Mart. M. DC. LXI.

CELSITVDINIS TVÆ


Cultor humillimus

I. A. Ghibbeſius.

PAV-

PAVLVS IOVIVS
in Vit. Viror. illuſtr.

LEONIS DECIMI virtus haud dubiè ad ſalutem humani generis *Auream ætatem* condiderat : cùm nos ſtatim ab optimi Principis exceſſu verè *ferream* pateremur : adeò vt, cùm fatali errori noſtro barbara vis cędes, cruciatus, peſtilentiam, famem, vaſtitatem, & dira malorum omnium incommoda nobis attuliſſet; literæ inprimis eximiæq; artes, & rerum omnium copia, communis item ſalus, & publica hilaritas, & deniquè bona omnia tanquàm eodem ſepulchro cum *Leone* condita lugerentur.



ARISTOT. l. 4. Ethic. c. 3.

Quoniam *maximis* honoribus MAGNANIMVS dignus eſt, idem *Optimus* ſit neceſſe eſt.



ILLVS-

ILLVSTRISS: ET EXCELLENTISS:
DOMINO,
CAROLO RINVCCINO,
MARCHIONI BASILICAE,
Magni Ducis Etruriæ ad Summum Pontificem oratori,
IAC. ALB. GHIBBESIVS, M. D.
rem benè gerere.

SVPERIORIBVS diebus, cùm in concionem aſcendiſſem, vt illum Atlantem cæli, LEONEM DECIMVM, præclarum ciuem veſtrum, orbiſq; principem, in maxima celebritate omnis generis hominum pro more laudarem, oranti tu mihi, Sapientiſſime Legate *RINVCCINE, quò pompa funebris abſolutior euaderet, acceſſu tuo coronam & pondus addidiſti. Teſtificari maximè potes vnus populi continuum deſiderium, itemq; ſyncerum amorem meum. Vellem vtriuſq; partis ſtudium, ad quem ſpectat (opìnor) præcipuè, facultatum & virtutis tanti Herois hæredi FERDINANDO, pro rei dignitàte notum eſſet. Næ ille huiuſcemodi domeſticæ gloriæ optatiſſimo accepto nuncio gaudium gauderet immortale. Quid oratio, ſi ad aures ipſa perueniret?*

ret? quid si non vnius anni officium, sed compiurium hoc statum & solenne monstraretur?

At non cuilibet, vt scis, Corinthum adire concessum est, nec verò sacra manibus illotis tractare decet. Per Virtutis ædem ad templum Honoris olim patebat ingressus. Vt igitur qui Solem intueri volunt, cùm in eum oculos intendere propter imbecillitatem nequeant, speciem illius in aqua vel nube contemplari satis habent; sic cum Etruriæ mihi Serenissimus Dux adeundus esset, neq; tantæ splendorem maiestatis sustinerem, ad te modificatam, vt ità loquar, eius imaginem; cuius hac in Vrbe, totius orbis regia, luculenter sane personam apud Pontificem Maximum repræsentas, illicò respexi. Quid quòd à Persis institutum cùm religiosè, tum prouidè fuisse accepimus, nè priuatus homo vllus sacrosanctæ regum suorum præsentiæ atq; aspectui sisteret sese, quem non ex interiori amicorum cohorte aliquis commendasset.

His de causis factum est, præpotenti Principi, eidemquè pererudito, voluminis oratorij qualecunque munusculum impertiri cupiens, Te vt ego potissimùm censuerim compellandum, qui & plurimùm posses, virtutis merito singularis tuæ, nec velles non aliquid, pro blanda illa in literatos voluntate. Itaquè facies ex ingenita naturà consuetudine benemerendi, quod & opto & auguror, vti Libellus iste, quem alioqui non ingratum confidebam fore, sit etiam tantæ commendationis accessione iucundus.

VALE.

In

In anniuersario die LEONIS X. P. M. almæ Vrbis Gymnasij restitutoris, LAVDATIO Iacobi Albani Ghibbesij;

DICTA In Sacello eiusdem Gymnasij 9. Kal. Mart. 1659. inter honorarias optimi Parentis èxequias.

ORATIO I.

AD BERNARDINVM CARD: SPADAM.



EGVM humandorum, aut alio modo clarorum virorum, is ritus vigebat apud Scythas, vt impositum plaustro cadauer circumferretur per omnes vrbes; cuius particulam erat vnicuique licitum decerpere, siuè in arcâ reuerenren-

renter asseruandam vnguentis delibutam, siuè protinùs, quod multò putabatur religiosius, imum in ventrem deglutiendam. Volo equidem ad exemplum huius gentis quamuis barbaræ (quid tùm indè ? rudes enim homines & inculti, sicuti libri inelegantes & fatui, documenta sæpè multa continent nostris vsibus pernecessaria, atquè imitatione dignissima) non corpus inclyti Principis, quem laudamus, offerre vobis, AVDITORES, dilaniandum, quod foret impium; cui terram extincto leuem potiùs, quę est vestra humanitas, longamq; quietem precamini: sed spiritum, sed animum eius ingentem, sed illam diuinæ partem auræ, ferculo quodam imaginario, eloquentiæ quadrigis insidentem, perquè studia populorum vehentem traducere, vndè sibi quisque virtutis alicuius præcipuè adamatæ arripiat monumentum; minimè colendum extrinsecùs illud quidem & in speciem, verùm animis penitùs vestris, mentibusquè cõmendandum. Quod mihi sanè facere cogitanti, suisquè coloribus, vt dicitur, repræsentare instituenti, subit opportunè, atque obuersatur ante oculos

certæ Monetæ impressa facies, quam Seueri Cæsaris tempore scribit Trebellius repertam fuisse, Heroisquè nomine in ambitu percussi nuncupatam. Erat autem nummi figura intra orbem mirabilis. Extabat inprimis caput elephantis; adscripta vox interpres, magnanimitas. Tùm delphini pectus; index, humanitas. Deindè manus castoris; gratificatio, sententia. Postremò pedes vrsi; subiecta notio, modestia. Vt ex alienis hisce partibus monstrosum profectò animal conflaretur:

Non aliâ formâ rectiùs nequè Heroa, nequè virtutes eiusdem exprimere ingeniosus artifex potuisset: cùm iam indè ab aureo seculo, quo istiusmodi hominum cœleste genus viuere desijt, occurrere heröi, sit portenti instar omnium opinione, cygnoquè nigro simillimum. Sed ille tamen ex ijs vnus, quibus comminiscendi quidlibet & audendi semper fuit æqua licentia, nec negatum, si furor incidit,

Delphinum syluis appingere, fluctibus aprum;

fictâ hac excogitataq; dissimilium rerum compactione, viri dotes excellentis egregiè proposuit; quarum ornatu, qui cæteris

est præstiturus, vitam excolere & cōmendare debet, vt iucundissimam sui memoriam nominis posteritati propaget infinitæ. Non tàm Darîcus Hystaspis, aut Philippèus Amyntæ loquitur filios, quàm Heros iste nummus Laurentij Medicei, Hetruscorum optimatis, LEONEM, Pontificem Romanorum. Ità singula illa primæ laudis insignia complexus est digna imperio, atquè ornamenta virtutis! Quanquam mihi nimiùm restricta videntur ea quidem, angùstioraquè multò, quàm quæ Leonis pectus impleuerint. Semones designent symbola quatuor scilicèt, quos ob exiguitatem meritorum non omninò censuit cœlo dignos antiquitas; at verò Indigetes, ollos, inquam, maiorum gentium (nàm in rebus sacris priscæ loquendi formulę insisto libens) quos benefacta in Superûm cœtum haud numero cōprehensibilia vocârint, nulla satis Ægyptus, emblematum inuentrix, pro eo ac merentur, expresserit. Hos inter Semideorum apices singulariter eminet noster LEO, totoquè tantum vertice suprà est, quantùm mortales omnes anteibat in terris dignitate.

Quid

Quid enim? Virtutum quaternis duntaxàt gradibus cœlum aſcendiſſe dicemus eum, cui tot quotidiè in altiſſimum ſeù Capitolij, ſeù Vaticani ſolium procedenti ſubijciebantur maieſtatis? Apagetè cum vulgari communiquè laude, cum de Leone agitur: omnia rara, omnia eximia, omnia ampla & exaggerata debētur ipſi.

Vbi mens, vbi honor, vbi pietas, vbi religio, vbi fides, vbi pax, vbi ſalus, vbi concordia, iuſtitia, fortitudo, libertas, liberalitas, felicitas? vbi continentia rebus in ſecundis, vbi tolerantia in aduerſis; in aggrediendo conſilium, iudicium in agendo, prodigium in perficiendo? vbi amor patriæ, ciuium charitas ſubiectorum, bonis præmium conſtitutum, improbis ſupplicium, acceſſus facilis, comis audientia, ſermo clemens, ſummæ demiſſio poteſtatis? artium comprehenſio & ſcientiarum incredibilis, Muſices in primis atquè Poëtices, quæ affectionum interiorum harmoniam facilè diuinam oſtenderent: tùm verò mira vis eloquentiæ, ac reconditæ non ſolùm eruditionis poſſeſſio, ſed etiàm ſitis? Quid commemorem eius in colen-

dis amplificandiſquè hominibus; qui hæc profiterentur, liberale patrocinium, ac ſplendidiſſimam clientelam? Nunquàm ſit finis, Auditores, ſi decorum lumina, quæ circumſteterunt tantum Principem, atque illuſtrârunt, velim ſingula perſequi nominatim. Pyramides mediùs-fidiùs, coloſſi, metæ nobis, quotquot extitêre, opus ſunt. Horus Apollo characteres aut figuras rebus pares præclarè geſtis nè ipſe quidem adumbrandis in vnâ Memphi reperiet. Gentes hùc ac nationes concurrant oportet vniuerſæ: & quicquid in parietibus vermiculatum, in pauimentis teſſellatum, in lignis ſegmentatum, in vaſis incruſtatum, cælatum in clypeis, contextum in vexillis, exſculptum in annulis, videre licuit apud quamque vllo tempore mirabile & elegans, ad elogij myſterium conferant ſempiterni. Hîc Perſarum aquilæ aureæ, noctuæ Athenienſium, Thebanorum Sphinges effabuntur egregiè. Auguſti papilio vnà cum fluuiatili cancro, quid ſibi velit, intelligetur. Edet vocem, contra domini inſtitutum, rana Seriphia Mæcenatis. Columnæ demùm Herculeæ (vt

hos terminos exornationi constituam) à Quinto Carolo vsurpatæ, non ampliùs claudi Oceanum, sed patere adhùc, vltraquè iri posse, testes erunt:

Cæterùm nè venditatio ista præconiorum videatur ex oratorio myrothecio potiùs, quàm ex gestarum veritate rerum esse profecta, aggrediar ex his, quæ perstrinxi, nonnulla deducere cumulatiùs, rebusquè ipsis allatis in medium orationi fidem adstruere. At quoniàm virtutum illustrem coronam, quâ Leonem non tàm ambiri dicebamus, quàm redimiri, minimè licet per angustias temporis numerando commonstrare, quòd & putidum esset, vt in re notâ, insistere in singulis, vobisquè recognoscere minutiùs afferret molestiã: vt breuitati pariter atquè patientiæ consulam vestræ, ad quatuor capita numismatis Heröi denotando præsignati, reliquas virtutes, tanquàm membra quædam siuè partes, more Dialecticorum, qui vni generi subijciunt plures species, reuocabo. Quinimò agam adhùc etiam strictiùs: illa ipsa prima scilicèt, humanitatem, gratificationem, modestiam, magis principali adscri-



bam origini, ac veluti riuulos à qualitate Leonis accersam propriâ, magnanimitate. Quod & ipse meo quidem iudicio innuere voluit non obscurè, dùm subitò Pontifex creatus LEONIS nomen, cùm Ioannes priùs vocaretur, assumpsit: vtpotè qui cùm propter insitam excelso regioquè animo clementiæ indolem, tùm assiduam rerum appetentiam maximarum, tùm cogitationem gloriæ haud vulgarem acta per grandia comparandæ, non expresso quidem titulo, veruntamèn eruditâ allusione, MAGNANIMI cognomen affectaret. Hoc à generosissimo animalium placuit mutuari nimirùm, quod duo Pontifices, eius proximi decessores, in hominum clarissimis præstantissimisquè fecerant antè, quibus Alexandri atquè Iulij augustissimæ appellationes arrisissent.

Subest enim cuiusque rationi nominis latens quædam ac diuina vis in vtramque partem, vt quos pulchrum aut turpe insigniuit, eos ferè nescio quo pacto consimiles reddat sibi. Nùm quià huiusmodi vocibus, quæ sunt rerum notæ ac magistræ, puerorum aures vsquè personant;

quæ

quæ autem hausimus à teneris annis altiùs hærent atquè insiguntur? Vt enim exẽpla sileam in eo genere propemodùm infinita, quibus ætates & libri omnes sunt referti, pauca mecum hîc aliquot licet degustetis. Quid Pyrrho ardentius, Aquilâ perspicacius, iuris & æqui Iustiniano studiosius, Ambrosio dulcius, Laurentio inuictius? Agnete, Catharinâ, Sophroniâ, (stat & fœminarum instructa acies) quid castius, purius, temperantius? contraquè, fœdius quid Turpilio, procacius Boccatio, vno Bibulo Furio vel plagiarium magis vel temulentius, spurcius deniquè Verre, illo Siciliæ infami Prætore, vt etiam pecudem omni luti labe eam ipsam superaret; quid Verre, inquam, putrius existimari aut sordidius vnquam potuit? Hinc enimuerò præclarè Plato, sicuti cætera omnia, in dialogo, opinor, de Sapientiâ, vult ac iubet, speciosum infantibus nomen poni. Atquè Athenienses nihilo sequiùs, quorum semper fuit prudens syncerumquè iudicium, nomina iuuenum fortissimorum Harmodij & Aristogìtonis, qui libertatis recuperandæ gratiâ sub tyrannis Hippiam

inter-

præſtans facinus, aut actionem eximiam, nulla promerita, à primo ortu ad tantam amplitudinem interiecta, quibus tanquàm gradibus aſcendit ad ſummũ imperium, nec dùm attigi? Poteram profectò, ac ſanè debueram, illius maiorum præferre imagines, ad memoriam domeſtici ſplendoris & declarandam nobilitatem; Coſmi potiſſimùm, patriæ patris ſalutati, proaui, atquè Laurentij genitoris, viri cùm in ſuâ Rep. principis, tùm togato caſtrenſiquè conſilio admirandi: poteram affinitates cum potentiſſimis regibus loqui contractas: poteram Claricis Vrſinæ, antiquiſſimæ ſtirpis fœminæ, eiuſdem matris, viſum narrare nocturnum; veluti quomodò prægnans Leonem, ingentis magnitudinis & miræ lenitatis belluam, in templo Florentiæ omnium maximo ſomniârit ſe deponere abſque gemitu: quò conſtet videlicèt hoc in partu cœlum ipſum ſuas egiſſe partes, vt qualis eſſet aliquandò vir futurus tali prodigio tantò antè præmonſtraret. Tùm de infante in lucem edito, qui dies incidit in ante diem III. Id. Decembr. anno reparatę ſalutis ſupra mille quadrin-

gentos quinto & ſeptuageſimo,à prætextâ & bullâ aureâ vſquè eò, quoàd virilem togam ſumeret, Deus immortalis! quàm latus patet laudum campus, in quo excurrere liberè,ſequè iactare magnificè potuiſſet oratio! Quot res & quãtas de ſummâ in puero ſpe, ſummâ ingenij indole, ſummaquè virtute prædicaſſem! quid de bonis moribus, dequè optimis diſciplinis, quibus patris ſui, doctiſſimi & grauiſſimi ciuis, curâ id ætatis ornatus fuerat, & inſtructus, non dixiſſem! muſicis numeris præcipuè, & vocibus, & modis, at multò maximè Latinâ Grecaquè literaturâ, ſub præceptoribus Angelo Politiano & Bernardo Michelotio edoctus, eruditionis tũc famâ clariſſimis. His initijs,ac fundamentis moles illicò honorum tàm immenſa quotidiè magis congeſtorum excitata ſurrexit. Nam quid, obſecro, putatis acciđiſſe? nouum, Auditores, non modò inuſitatum, verùm prorsùs admirabile, & in omni memoriâ inauditum. Vt perampli duo Principes, iudicio & imperii gloriâ excellentes, regnorum interuallo diſiunctiſſimi, certatim tamen ad puerulum vl-

tra

tra annos honeſtandum, alter altero munificentiùs, ità pronis ſtudijs conuenirent. Ludouicus quidem, Rex Galliæ huius nominis Vndecimus, eum vix decennem inſigni Sacrorum Antiſtitis præfecturâ, opimoquè cenſu donauit. Innocentius verò Octauus, Pontif. Max. tribus pòſt annis longè ampliori religionis loco ac munere non donauit ſolùm, in Collegium eundem Purpuratorum ſuorum coöptans, ſed Legationis inſupèr Hetruriæ totius prærogatiuâ, deincepſquè Patrimonij D. Petri, Peruſiæ, atquè Bononiæ adminiſtratione cumulauit.

Primum vitæ actum, quod humanæ tyrociniũ ætatis rectè quis vocauerit, euoluimus; iam ad illa, quæ perfecit adultior ſuapte ſponte, proprioquè arbitrio, relictus ſibi, (nàm Laurentius pater hactenùs vixerat, fidus comes, & perpetuò affixus cuſtos) ad illa, inquam, homini propè dicàm negata, æternis faſtis & annalium monumentis tranſmittenda, vno verbo Pontificatu maturiùs, quàm per legem inueteratæ conſuetudinis liceret, adipiſcendo facta digniſſima, procedamus. Etenim

nim

nim triplicem Tiaram, ô miraculum! triginta & octo annos natus iustis comitijs, & plerisque suffragiis conspirantibus, acclamatus Pontifex suscepit. Eo interim spacio satis explicari nequit, quot indicia fortis & excellentis animi vel vtriusque fortunæ telis eodem semper vultu perferendis, vel aggerandis & disseminandis beneficijs, ediderit: Ac Petro, germano fratre quidem, quà vi Caroli VIII. Francorum regis, in Italiam hostiliter ingressi, quà ciuili dissensione populorum, à Reip. gubernaculis summoto,& Florentiâ pulso, atquè cum omni Mediceâ familiâ relegato, vulneri locum alicui grauiori adeò non concessit, vt nè leuissimæ quidem stricturæ vestigium vllo tempore appareret. Ictum certè prudenti quadam declinatione,&,vt aiunt, corpore effugit. Is quippè, vt seruiret tempori, abscedere item tantisper, & per exteras gentes peregrinari constituit, quòd Romæ cum dignitate manere non poterat,cùm Alexander Pontifex Florentinis tùm fœdere iunctus esset. Redijt ipse haud ità multò pòst, Alexandro mortuo, licèt Medicei patriâ, & auitâ domi-

natio-

natione exacti totos decem & octo annos exulâssent. Iulium II. reuersus habuit sibi, ac domui suæ commodiorem: cuius ope & gratiâ Legatus iterùm creatus, quam pacem cum Ludouico XII. componere non valebat, ad rem priuatam contulit. Nec exitu id sanè infelici. Expugnato namquè Pontificijs copijs Prato, (vt intelligatur militari etiam gloriâ præstitisse) cùm Florentiam victor tenderet, priusqàm ab aduersarijs præsidia parari opportuna potuissent, à beneuolis & propinquis introductus, totam subitò familiam reuocauit. Ibi Soderino perpetuam Dictaturã abdicante, Remp. ad arbitrium constituit, fratre Iuliano natu minore, quòd Petrus iampridèm in Campaniâ ad Lyris ostium fluctibus obrutus interijsset, principe relicto. Nonnè ista vobis opera videntur admiranda, incredibilia, ac tantùm non diuina? Sexcenta licet eiusmodi proferre alia, quæ consultò prætermitto, velis equisquè properans ad ætatem auream eius felicissimi dominatus.

Hîc, Auditores, hîc eloquenti esse licet, non modò diserto, vel infantissimo bã-

balio-

balioni: hîc enimuerò metuendum non erit, nè non suppetat, imò superfluat argumentum; quantumquè dicendo prouehitur oratio versus epilogum, quasi portum subitura, alterum semper tantum in tam vasto rerum præclararum ac memorabilium Oceano enauigandũ, plus plusq; porrò emetiendum non videatur superesse. Hâc in luce tandem, quemadmodùm Sol, ille mundi iucundissimus oculus, ad regionem sublatus meridianam, clariùs lucet, recreatquè vehementiùs; pari ratione Leo, generis humani iubar vnicum atquè delicium, Sedem Petri perindè atq; celsissimam gloriæ sphæram assecutus, heroicæ virtutis & liberalitatis radios suæ latè explicuit, longequè iaculatus est.

Sed quoniam, quàm laudare frigidè, tacere est satius; ego, cui certi quidam orandi termini fuêre à Studij nostri moderatoribus circumscripti, nimiùm sanè breues pro tantâ copiâ encomiorum, quos tamen vereor valdè vt tenuerim, iam transgressus, ea facinora, quæ Leo patrauit Summus Pontifex, differam in aliud tempus à capite creationis arcessenda. Tùm

per

per virtutes eius omnes,quas recensui carptim modò, in suis exaltationibus, vt Astrologi loquuntur, positas, adeoquè sese liberrimè exerentes, vagabor eadem licentiâ diffusiùs. Dicam de pacis publicæ studio primùm ardentissimo, cùm Europam omnem bellicis turbinibus agitatam, remquè sacram Religionis dissidio fatiscẽtem ac penè dilapsam, excepisset. Dicam de singulari erga Deum & Cœlites pietate, quâ inductus, id agebat, vt Christianos Principes inter se conciliatos aduersus Othomannum impelleret,communem hostem. Dicam de Synodo Lateranensi per Iulium cœptâ contra Pisanum conciliabulum, ab eo continuatâ, faustequè perfectâ. Dicam de Romanæ ditionis pomœrio dilatato. Narrabo,Pontificiæ vt perculerit inimicos authoritatis, infregerit machinatores necis suæ, tyrannos vsquequaquè vel exegerit, vel seuerè punierit, iustos dominos demùm imposuerit. Referam, vnaquè celebrabo, duobus capitalissimis veræ hostibus religionis,tùm Selymo Turcarum Imperatori,qui victis interfectisquè Sultanis Syriæ & Ægypti, ea regna am-

plissima occupârat, maximo cum Christianorum omnium, quorum ceruicibus imminebat, terrore; tùm Sectæ non minùs impuræ ac nefandæ conditori dicam, àn consarcinatori? Luthero, perditi oris homini, tenebris nescio è quibus popinarum ac lustrorum emerso, si Superis placet, nouo Lycurgo, diuinum cultum, sacra, & cæremonias vesano mentis impetu proterenti, fœdequè laceranti, quibus armis ierit obuiàm: cœlestibus nempè, quæ & promouisse Deus ab euentu visus est: Supplicationes enim per Vrbem indixit solénes Leo: pompam ipse nudis pedibus à basilicâ Vaticanâ ad S. Mariȩ supra Mineruam insigni conceptâ pietate prosecutus. Honorem non tacebo nouũ planequè eximium cum causâ illius conferendi, Britanniæ meæ singulariter impertitum, cùm Henrico Regi cognomentũ Assertoris Ecclesiæ, deindè etiam Fidei Defensoris nobilissimum, ad reliquos titulos adiecisset. Quod vtinàm ille, proh dolor pudorquè! quàm mereri, tàm nouisset conseruare. Certè quidem nec pœnam sibi, nec vulnus suis, nec miseriam patriæ tantam in-

flixiſ-

flixiſſet. Tum exequar ordine præclaras victorias cùm propriâ, tùm causâ amicorum initas & obtentas; quas inter, Parmam Placentiamquè recepit. Deindè cœleſtis illius poteſtatis effectus aliquot præcipuos enumerabo, diplomata, ſanctiones, indulgentias, conceſſiones, expiationes, ijſquè luculentiſſimam Franciſci Paulenſis ſuperponam coronæ vice dedicationem. Poſtremo loco, non poſtremâ tamen æſtimatione, mentis extollam dotes acerrimę, pręſtantiſquè notas corporis inſigniores; quandoquidem pulchro Virtus è corpore veniens exiſtat, vt ait ille, gratior multò, mirabileſquè amores accendat ſui.

Dicam iſta (repromitto) hiſquè affinia conplura alia, cùm tempus idoneum nactus ero: vt ex amiſſione tanti Principis, totq; ſubtractis ornamentis, vos faciliùs, vos præcipuè (Pàtres ampliſſimi, & Doctores venerandi) qui adſtatis, de graui iacturâ veſtrâ, dequè miſerâ orbitate huiuſce Academiæ, non ſine luctu, vt facitis, iudicare poſſitis. Habet hîc vnuſquiſque veſtrûm, quod propriè doleat, priuatimquè conquęratur; facultatis ſummum co-

lumen atquè præsidiũ extinctum singulorum. Quanquàm quodnam mihi excidit indignum profectò ex ore verbum? extingui nunquàm poterit, qui viuit in memoriâ seculorum sempiternâ: quem suæ naturæ rara priuilegia, quem maxima beneficia dispersa in homines, quem publica opera per pagos & vrbes, tanquàm trophæa gloriæ constituta, proponunt vsquè posteris recentem. Viuit, viuetquè in animis vestris; crescet fama, quamdiù pretium aut honos habebitur Sapientiæ, cui templum Romæ sedemquè pulcherrimam consecrauit; cum flore deniquè iuuentutis, quæ ad Scholas istas in dies singulos ex omni parte confluit, tot quasi ad tabernas bonarum Artium, eius immortali munere excitatas, nomen perpetuò adolescet. Facio finem, Auditores, ac rituali verbo dimitto omnes in præsentiâ, Ilicèt: vos valere Heröa, saluereq; æternùm, abituri jubete.

DIXI.

De

De Laudibus
LEONIS X. P. O. M.
almi Athenæi Romanæ Academiæ
beneficentiſſimi quondàm
Patroni,
CONCIO FVNEBRIS;
HABITA
ad honorarium Tumulum inter anniuerſaria Sacra, in AEde Sapientiæ, 8. Id. Febr. 1660.
ab Iacobo Albano Ghibbeſio.

ORATIO II.
AD SFORTIAM PALLAVICINVM CARDINALEM.

PRÆCLARE ſanè, ac prudenter, vel, vt ab huius dignitate loci mutuer verbum, dicamquè ſignificantiùs, à maioribus noſtris diuinâ quadam ſapientiâ prouiſum eſt, quem beneuolum in vitâ, prolixũquè

ipſi ſupra hominẽ experti cognouiſſent ſtudiorum & otij ſui fautorem & penè parentem, eius vt Principis morte abrepti recurrens memoria, non ſecùs ac præſentis alicuius numinis, anniuerſario ſacrificio atq; laudatione, eo ipſo in templo quotannis, quod ille Scholis extrui finitimum voluit, à gratá Doctorum poſteritate celebraretur. Is eſt LEO, quod iam profectò me tacente ſcitis, AVDITORES; iſtius quidem ſerie nominis Decimus, cæterùm inter Pontifices, quotquot Maximi recenſentur, nulli neque ingenio, neque optimis conſilijs, neque religione, neque liberalitate, nec omninò geſtarum gloriâ rerum ſecundus. Ac tantò mihi videtur mehercle prouidentia maiorum illuſtrior, magiſque prædicanda, quòd eam ceremoniam ineunte vere ſtatam ac ſolennem perpetuò eſſe decreuerunt.

Enimuerò naturam hominis inter & ingenium agrorum mira conuenientia intercedit. Ità nimirùm quatuor ætates percurrens, quas viuimus, egregiè phyſicorum gnarus Hippocrates, totidem illas anni tempeſtatibus proportione ſcripſit reſpõdere.

dere.Sed omiſſis alijs breuitatis causâ,vernum tempus attendo potiſſimùm, vndè inſtituto ſermoni apta,hâc duntaxàt in parte, reddatur analogia. Nam ſicuti nunc terra nouo Solis acceſſu tepefacta geniali & auido gremio ſparſum ſemen excipit, meſſem poſteà grandi fœnore paritura ; ſimillimè ſanguis vniuſcuiuſque noſtrûm, totus adeò corporis habitus,ad imitationẽ Telluris matris, ex intimis penitùs medullis atquè pręcordijs efferueſcens beneficiorum recordatione talium ac tãtorum, vires mentis excitat in cõſpectu vel adumbrati Solis huius Academiæ, ad gratiæ debitæ fructum quàm cumulatiſſimè referendum. Hoc agamus igitur, Auditores, bono die, læto ipſi, triſti nobis & ærumnoſo, iunctis vocibus & animis concordiſſimi: &, ſi maxima eius in nos omnes atquè immortalia merita minùs aſſequi prædicando poſſimus, eſto ſatis, qui mos etiam Superis placere conſueuit, agnouiſſe confitendo. Nec verò exigua ſolutio putanda eſt aperta profeſſio & voluntaria: Aut in LEONE magis regium cenſeri debet minuta accipere, quàm largiri ma-

gna. Clariſſimum præbuit ſpecimen Artaxerxes, qui profluentem aquam à ruſtico oblatam æquiſſimo animo rex admiſit. Nos pias lachrymas, quouis humore tributum haud paulò purius, clementiſſimus Põtifex quomodò fuerit, quâ inclinatione voluntatis accepturus, vllâ ratione dubitabimus?

Itaquè certâ fiduciâ tolerantiæ ſacri vel Antiſtitis vel Herois, ad illam reuoluor laudum eius partem reliquarum, quas anno ſuperiore ſub hunc diem in extremâ oratione de eo habitâ leuiter perſtrictas, & intento ſolùm digito commonſtratas, pollicebar alijs deinceps ſermonibus me fuſiùs proſecuturum. Dicam hæc, dicam iſta, dicam illa, dicam alia multò his adhùc & glorioſiora & mirabiliora, tùm iactabam plenis buccis, theatri ſecurus atquè campi, ſi rectè meminiſtis, vt facere videmini, Auditores; præproperâ locorum occupatione, tam inuſitatâ frequentiâ, tantâ audiendi cum ſummo ſilentio coniunctâ cupiditate, magnum certè quiddam, nouum, & reconditum expectantes. Quæ nè ſpes vos fallat, cùm omnia fuerint

in eo viro propè ſingulari verè cœleſtia, niſi culpâ facultatis & ingenij mei deterantur, operam dabo diligentem. Pudet enim Doſônis agnomen ſubire, quo Demetrij nepos olim apud Græcos populari ioco dictus eſt Antigonus, ex eo, quòd benignè promitteret omnibus, parùm deindè ſollicitus, quæ recepiſſet, exoluendi cuiquam. Mouet me quippè illud, obſtringitquè fortiter, quod in iuriſconſultorum includitur formulis, Chriſtianæ verò præceptis religionis habetur ſacroſanctum, Promiſſio boni viri.

Signa iam atquè prodigia raræ cuiuſdā de cœlo lapſuræ virtutis, ortum Leonis antegreſſa, cùm proximè diximus ex hoc loco, habuiſtis; ſuſcepto in lucem non infanti minùs ob ſpeciem auguſtiorem humanâ, quàm parentibus, illius cauſâ, benedixiſtis; è prætextá pueritiæ direxì ephœbum ad virilem togam, per ſingulos ætatulæ gradus indolem eximiam collaudâſtis; ab adoleſcentiâ (ſeruare placet medicorum tempora curriculum vitæ ſic diuidentium, quò res incutiat maiorem admirationem) ab adoleſcentiâ, quæ termi-

mi-

minatur vicesimo quinto anno, annusquè hic statuitur ipsis augmenti finis; corporis id quidem fortafsè, sed in huiusmodi hominibus non item animi,nequè honorum, aut gloriæ: sumptâ, inquam, purâ togâ duxi ad iuuentutem, hoc interim spacio tum propria ipsius, tum fortunæ bona eum veluti plenâ manu opprimentis, suspexistis; indè promoui altero decennio ad viri statum, quem isti vocant floridum & consistentem; tot ibi rebus præclarè gestis Achillem, tot extricatis summâ cum prudentiâ difficultatum nodis Nestorem, tot incommodis exantlatis, partim etiam felicissimè repulsis diuturnæ peregrinationis, Vlyssem proclamâstis; duobus pòst annis, ætatis videlicèt septimo & trigesimo tantùm, cùm eundem propter luculenta multa & incredibilia merita prouexissem ad orbis vniuersi imperium, id est, ad Romani Pontificatus tiaram, tum verò defixi miraculo & stupefacti ab omni seculorum memoriâ inaudito, sacrâ veneratione cohorruistis. Quid si diuina in tam sublimi fastigio, concreditâ illi cœli ac terræ supremi Rectoris potestate, dicta facta-

factaquè minimâ ex parte declarâssem? credo, vt eratis tunc affecti, dissoluto plusculùm spiritu præ dulcedine narrationis prorsùs animam egissetis.

Ventum est ad periculum, Auditores; eòdem recidimus: sedent ex aduersâ ripâ Sirenes, prætentant chordas, vibrante gutture (quod facile est discernere) secum nescio quid remurmurant, parantur ad cantum: Fugiendum, fugiendum ocyùs velis equisquè; nauis æquato remorum impulsu scopulos insidiosos prætervehẽda est; ars & cera contra lenocinium quærenda Vlyssea; aures obturandæ. At parcite tamen sollicitudini huic tantæ: obiecit mihi sese alia via securitatis; vester ego dux & gubernator ero inter Scyllam & Charybdin; orationis cursum aliò, tanquam nauigationis, deflectamus. Quamobrèm quòd de rebus cogitabam amplissimis largiter efferre per Principatum sanctè ab eo prudenterq; transactis, id in gyrum solius nominis, cur scilicet LEONIS appellationem, statim vt Patrum Conscriptorũ cunctis suffragijs Pontifex Maximus est factus, vnicè delegerit, includam.

Cu-

Curiosæ certè multę & cõmemorandę notiones in eâ disquisitione continentur. Hinc porrò virtutes regias omnes, vt ab igne flammas, & radios à Sole, videbitis existere. Quod ordine vt fiat, delectetquè impensiùs, à capite quædam erunt arcessenda. Reuocate animum ad memoriam iustorum funebrium superioris anni: subibit facilè recordatio somnij portentosi, quod in Reparatæ templo fecisse Florentię Claricem Vrsinam narraui lectissimam fœminam, eius matrem. Ea sibi pleno iam vtero miræ Leonem magnitudinis & lenitatis nullo labore parere visa est. Quod posteà somnium ex nutricum fabulis, vt fit, cùm ingenio puerili adhæsisset, ansam nominis sine dubio, laudum maximarum, quas affectabat, fouebatquè in pectore, certissimi indicis, Ioanni antè vocato prębuit. Præterquàm enim quòd Romanis Pontificibus is mos ratus atquè solennis iam indè ab alterius Sergij vetustate semper fuit, accessit insupèr alia causa præcipuè ipsi concupita, notâ vt aliquâ declararet, tacitâ quidem, sed eruditâ, naturam suam. Nam quid est, aut excogitari ma-

gnum

gnum vſquàm poteſt, tam amplum & nobile, tam clemens ac liberale, vigilans, moratum, induſtrium, quid deniquè tam excelſi animi & inuicti, quod prolatâ Leonis voce, non eodem ſimul tempore loquentibus obuerſetur?

Vitioſitatem omninò nullam, complures autem & raras prærogatiuas admirandæ præſtantiæ conſignauêre literis de fortiſſimo atqué generoſiſſimo animalium, adeoquè rege omnium Leone, qui res à naturâ inuolutas perſcrutantur. Iiſdemquè, cùm omnia deprómpſerint, adhuc tamen vociferantibus ſupereſſe maiora, terminatur ferè præconium huius belluæ ſic, eam vt ſolam cuiuslibet virtutis quaſi figuram ponant Ægyptiam. Ità ingenium ſolent extollere, fortitudinem corporis, largitatem animi, iuſtam iram, lenitatem, prudentiam: tum illa decãtant grandiori tubâ, quàm ſit iniuriarum memor, & pro culpæ modo vindex, quantæ abſtinentiæ in potu atquè paſtu, qualem vſquè vigilantiam toleret indomitã & aſſiduam, vt apertis ſemper oculis dormire videatur. Demùm infinitis prætereà diuitijs cœli

benignioris, ac dotibus illi insitis & annexis, quas pro imperatâ breuitate longum esset enumerare nostri laudes ad LEONIS festinanti, non complent modò vtramque paginam, verùm etiam producunt totos libros. Vnum tamen præterire, plenum iudicij & rationis, quod Plinius tradidit locuples author, nullo modo possum: quippè enim sola hęc affectio, si mòx in contentione vtriusque maximè LEONI cõuenisse Pontifici adductis exemplis ostendero, nimiùm quantum valebit ad augendam de illo opinionem. Quid ait? quæ variè sparsa leguntur, vnâ collectione subijciam. Quid ait ergò? Generositas animalis inter pericula deprehenditur præcipuè. Leo vulneratus obseruatione mirâ percussorem nouit, & in quantalibet multitudine appetit intentum. Eum verò, qui telum iaculatus non læserit, correptum immani rictu raptat occisuro similis ad terrorem, nec offendit. Ex feris clementia soli obtigit in supplices, prostratis parcit. Atquè hæc Plinianâ fide; verbis, vt locos conciliarē meis.

Vestrum ego nunc deposco sensum cogitationemquè, Auditores; vtrùm ista ferina

rina siue præsidia, siue ornamenta, si in aliquo vno homine collocata cerneretis excellenter eminere, non eum inter cæteros, qui vel pauca sortitus esset, principem; qui plura, regem; qui vniuersa, imperatorem; qui adhæc alia decora nactus longè sublimiora, quendam, vt ita dicam, terrestrem Deum putaretis? At in LEONE Mediceo huiusmodi lumina cõgesta supra modum & illustria fuisse fateamini comparando necesse est. Agedùm, ite mecum per singula. Sed quoniam coarctor ad expediendum, tum iussu moderatorum, quibus obsequi debeo, tum fastidij metu vestrûm omnium, quos & retinere cupio & dimittere contentos, longiusquè hoc esse negotium videtur, quàm vt tam angustis orationis hodiernæ spatijs possit includi; Ptolemæi faciam more sectatorum, qui dùm aptam per figuram totius cœli situm ponere volũt in prospectu, quatuor cardinum designant stellas, quandoquè etiam vno tantùm ex angulo quod relinquitur, obiectâ quasi Timantæâ tabulâ, satis habent indicare. Itaquè paucas ex infinitis virtutibus libari conueniet,

niet, quæ ſint pontificiæ amplitudinis,hoc eſt, Deo in terris proximæ maieſtatis propriæ, quarumquè velùt extet in turba nitor & emineat, vt ex iis cæterarum coniecturam,& exiſtimationẽ informare poſſitis.

Virtutes in principe commendantur à politicis philoſophis maximè tres, Pietas, temperantia, manſuetudo, ſeù eum adeundi facilitas:quas artis canona regiæ ijdẽ appellauêre.Nos in Pontifice volumus eas altiorum generum eſſe partes;quibus præditum regibus illum decet tantò magis excellere, quantò anteſtat poteſtate. Non longè abeo: ſyluam Leo ſuppeditat, vndè quamuis magnã copiam licet decerpere. Sed ternæ virtutes, itidèm vt illis, erunt nobis ſatis; quas etiam ſplendido nomine decorabimus, & catenam Platonis, quæ cœlum cum terrâ coniunxit, contra iſtorum canona, Polycleti intellectam regulam, non abſurdè dicemus. Quænam tandem ſunt iſtæ? magnanimitas, eadem manſuetudo (ſed ſignificatione mutatâ nonnihil, vt miſericordiam vocaueris rectiùs) poſtremò vigilantia. Hèm, quid iſtuc audio? inquiet aliquis: itanè verò,

pietate maius atquè temperantiâ vt in ſupremo religionis antiſtite ſtatuatur quidquam? Ego verò non ſtatuo, reputo citiùs ijs quaſi gradibus ad Pontificatûs apicem perueniſſe. Id quod etiam ſatis, vt opinor, aliàs oſtendi. Ad caput enim magnanimitatis retuli vtramque cum Ariſtotele, quaſdam veluti differentias. Quoniam igitur vnam excellentiſſimam Leonis dotem in noſtro Principe vberrimis tum exẽplis eluxiſſe monſtratum eſt, quà ſummos ad honores præmaturè aſpirando, quà munera grauiſſima reipublicæ vel ſuæ, vel Chriſtianæ totius gloriosè ſuſtinendo, quà ſe audacter obijciendo periculis, quà viriliter tolerando diutini pœnam exilij, tum innumerabilibus beneficijs quoquouersùm diſperſis in homines, tum nullis ſimulationum inuolucris aut receſſibus occultæ mentis, eo deniquè vultu in omni fortunâ, vt nunquàm à ſtatu generoſæ indolis diſcedere viſus fuerit, nunquam à dignitate ſapientis; illam partem de tribus, actum agere metuens, ſilentio pretermittam in præſentiâ, manſuetudinis & vigilantiæ laude quantùm præſtiterit, quàm ſimilem ſe

D Leo-

Leoni gesserit ac geminum, persequar, sicut erat propositum, deincèps.

Atquè illa prædicetur lenitas primùm, quam somniauit eius mater, cæteri verò mortales rem solidam & expressam viui (quod dicitur)& videntes ingenti suo bono comperêrunt. Siquidem amicis exhibeatur, & de nobis non pessimè meritis ea benignæ propensio voluntatis, erit iure celebranda; si post grauem offensionem ad hostes etiam incubuerit,non celebrãda solùm humanis verbis, sed honore propè diuino consecranda. Cuius eximię virtutis cùm in Pontifice re peræquè, vt cognomine Magnanimo, exempla suppeditant varia, & insignia, tùm vna cõiuratio fidem plenissimè facit Petrucciana. Quid enim? ô placabilitatem admirandam, incredibilemquè remissionem! quid aliud cupiebant furiosissimi homines (nota est historia) quid machinabantur, quid anhelabant, nisi vt Romanæ Sedis maiestatem, sanctimoniam religionis, literaturæ columen, beneficentiæ asylum, exemplar liberalitatis eodem nefario parricidio, si fortè contigisset, omni doctrinâ & virtute

orna-

ornatissimi Principis sepelirent? Ipse tamen extremo supplicio sumpto de Alphōso Petruccio, tanti sceleris authore atquè antesignano, cum duobus seruis post corporis lacerationē peracerbā infami trunco suspensis, vltum se abundè ratus, conscijs reliquis promptissimè pœnam mortis, primarijs viris, supplicibus & prostratis, impositâ pecuniæ vel exilij tantūmodò mulctâ, condonauit. Vultis clementiæ documentum, Auditores, luculentius? ex nullis certè nequè ego annalium monumentis eruere aut legere, nec vos alicubi audire, nequè mundi Sol oculus vllo circuitu gentium ac regionum aspicere maius, vix par aut simile, vnquàm potuit.

Quod cùm ita sit, & diffiteatur nemo, verùm pedibus eam libenter in sentētiam quilibet ierit; quęso, vt parcatur inutili viæ, atquè ad expendendam potiùs eiusdem mirificam vigilantiam, quæ laus similitudinis ponēbatur tertia, fiat gradus. Nolim intelligi, dùm vigilem dico, quasi corporis apertis oculis magis, quàm intentissimâ mentis acie in omnes partes excubârit. Alia longè hominis & belluæ pro-

fectò ratio est. Haudquaquàm enim similitudo præsens tam imaginẽ habet, quàm collationem. Nec verò labes huius animalis atque necessitas quantumuis præstãtis ad clarissimam sanè virtutem primi Sacerdotis maximequè voluntariam traduci debet. Nullo tempore dormire prorsùs feram videri, id est, somnum arctum capere, liber memorat is, qui circumfertur incerto auctore, de naturâ rerum: caussam esse scilicèt, quia oculus illi magnus contigit, & pellicula incumbens curtior, quàm vt orbem tegere totum queat: rectè fieri autem in cæteris animantibus iudicandum, quandò palpebræ inter se commissæ fuerint, ac veluti obsignatæ. LEO Pontifex, si quisquam alius, ad vnguem vsquequaquè factus, & apprimè conformatus, quicquid fecit, sponte & voluntate faciebat suâ, nullâ vi, nisi conscientiâ officij, astringente. Vt mihi certè de totâ re acriùs subindè cogitanti, tum de hoc gloriæ & felicitatis humanæ, nè dicam, beatitatis altissimo fastigio, tum de illo, quicunque singularibus promeritis tantum sibi gradum subiecisset, per & scienter

enter & appoſitè videantur noſtri patres, ſanctiſſimi viri, maximo eidem, quem nos vocamus promiſcuè cum falſorum Deorum priſcis cultoribus, Pontifici, ſummi paſtoris & epiſcopi nomen imponendo, decreuiſſe. Quâ voce vtrâque rectoris auditâ, regnum ipſum non iam dignitatis aut otij nomen eſſe comprehenderit quiſpiam, ſed ſeruitutis atquè curæ. Quid paſtorem conſtituit tandem? nonnè ouile, ac numerati paſtio gregis? quid epiſcopum? an non ſtatio permanens in cuſtodiâ eiuſdē gregis, tanquam in ſpeculâ, contra prædonum incurſum, & luporum? Significabit plus fortaſſis paſtor populorum appellatus rex aliquis Homericus, aut magiſtratus ille Athenienſis à proſpiciendo dictus, quem & Harmoſten Lacedæmonij, & Cōſulem Romani, niſi me fallo, vocauêre; imò nobis congruenter, ſacerdotum præſultori Plutarchus in Numâ, ſuæ linguæ retinens, epiſcopi verbum accommodauit; quàm præfectus Chriſtianis ſacris, auctorquè & magiſter ſecundum Deum publicæ religionis, titulis ijs ipſis inſignitus? qui hoc putet, multò minùs qui velit affirma-

re, tam inconſultum ac temerarium equidem credo inueniri neminem. Benè habet: iactis fundamentis,aſſurget indè exædificatio facilis illius, quam viris in inſulis virtutem theologi cùm vniuerſis,tum pręcipuè tribuunt omnium coryphæo peculiarem & vnicam, vigilantiæ. Huius vocis cum latitudine notitiam haud inculco amplius: quem ſedulum, quem attentum, quem ſollicitum, quem animo, claudat licèt oculos, excubantem & erectum cognorîtis, eum vos hominem laudis tam diuinæ maximè participem cenſetote.

Video me iamdudùm, Auditores, expectationẽ veſtram tenere ſuſpenſam; ſcio, quorsùm ſpes inclinet, ac voluntas ſingulorum: lucidiſſimam iſtam gemmam pontificali vt inſertam diademati, & hiſtoriæ fide conteſtatam, in Maximo Leone repræſentem. Geram morem hòneſto planè deſiderio, amoriquè neſcio in illum, an in me ipſum propenſiori: ità hactenùs, quicquid hoc eſſe potuit orationis,collatis ſtudijs,totquè beneuolentiæ non vulgaris, atquè vrbaniſſimæ humanitatis illuſtribus indicijs excepiſtis.

Com-

Commodùm Leo Christiani recturus imperij nauim ad gubernaculũ accesserat, cùm magnæ vndiquè tempestates seditionum & discordiarum vel domesticæ vel externæ, magistri noui veluti artem tentaturæ, surrexerunt. Bellum quidem cœptum iam & accensum offenderat per Italiam, diffidentium inter se regulorum factiones Gallo & Hispano, Germano item ac Britanno, proùt in hanc quisq; illamuè partem affectus erat, perpetuis copijs fouentibus: quomodò se habuit inter fluctus communis parens, atquè gessit? sedit oscitans, credo, & dormitans, rumorum & periculi dux securus: imò verò totâ mẽte in eam curam dies noctesquè incubuit, vt potentissimos Europæ reges Legatorum suorum operâ conciliatos ad inferendum aliò bellum auocaret. Quod & consecuturus propediè̀m videbatur aduersus tyrannum Othomannicum, nisi Maximiliani mors Cæsaris infelici quodam fato transuersa incurrisset. Illud obtinuit saluberrimâ consultatione quidem certè, vt eiecto armorum igne concordia Principum, paxquè patriæ remaneret.

Tranſeo ad extera. Selymum ea tempora habuêre Turcarum imperatorem; & ſuopte ingenio præferocem hominem, & victoriæ licentiâ, nouiſquè vſquè ſucceſſibus inſolentem. Is enim duobus Memphiticis regibus acie nuperrimè cæſis, Syriam; quemadmodùm paulò antè fuſo victoquè Hyſmaële Perſarum Sopho, Aſſyriam, & Perſidẽ, maioremquè Armeniam imperio ſuo adiecerat; iamquè Pannoniæ prædabundus, vltimo Chriſtiani orbis propugnaculo, atque adeò ceruicibus & iugulis noſtris imminebat. Hîc enimuerò cernere erat impijs barbari conatibus oppoſitam LEONIS, vt vniuerſalis epiſcopi, cum diuinâ prouidentiâ, & commemorabili pietate mirificam pugnam. Non ſigna contulit, non conſeruit manum: id erat vulgare nimis, atquè vſitatum: ſed cęleſti genere præliandi vſus, quippè qui vicariam Dei Fortis gerebat poteſtatem, vi precum & ſacrificiorum eum vſquè à Româ, tanquàm miſſorum baliſtâ fulminum, repreſſit. Nam horribilis cancri ſtrumâ, vt credere iuſtum eſt, ab alto inflictâ poſt aliquot dies miſerè exeſus & abſumptus, fili-

filium reliquit commodiorem. Speculatorem vidiſtis è pharo Sanctæ ciuitatis diligentem contra prædatorē; paſtorem nunc eundem è ſeptem Montibus contra lupum accipite vigilantem. Odium intercedere Leoni cum thoē capitale ac penitùs inſitū (thos autem forma quædā in lupino genere dicitur valdè mordax) ſcriptores narrāt ij, quos adduxi ſuprà. Prçclarè cum primis hæc naturæ quoquè cōditio LEONI noſtro conueniet, ſiquidem verę & auitæ adulteros fidei, ſiuè cudendo hæreſin aliquam nouam, ſiuè ſectando, iure ac meritò lupos licet appellare. Talis omninò, Cerberus ille, funeſta fax ac fatale prodigium, deſertor partium, & Catholicæ transfuga religionis Lutherus extitit; inſidiator occultus primùm & inteſtinus Germani candoris, pòſt etiam ſanctitatis Romanæ, recti cultus in Superos, ſacrorum, & ceremoniarum parentis ac magiſtræ, longinquus hoſtis & apertus. Detexit è veſtigio bonus cuſtos cuniculos LEO, mouit omnem lapidem aduerſus nefarium raptorem, quacunque ope poterat tum priuatâ, tum alienâ, fugitiuum vſquè ad viuam cu-

tem

tem perſecutus eſt. Quo factum, vt poſt excuſſum diræ diplôma deuotionis tanto loci interuallo in ſceleſtiſſimum caput, Carolum Auguſtum deindè præſentem induxerit, coacto concilio procerum vtriuſque ordinis apud Vormatiam vrbem, non vt perfidi furorem hominis modò caſtigaret, atquè petulantiam, verùm obſcœni quoquè oris, fœtentiſquè pectoris ſemicoctas vomitiones, eius videlicèt famoſos libellos, vti moribus ac religioni peſtilentes. manu iuberet carnificis in medio foro cõcremari. Luculentum planè teſtimonium, dignumquè Cæſare, datum cenſorio iudicio Pontificis!

E trium itaquè virtutum expoſitione maximarũ, tanquam è compendiario freto (nam vaſtum illum cunctarum laudum Oceanum perhorrui) tandem in portum, beneuolæ prouecta concionis aurâ, enauigauit oratio. Vos, vos, inquam, mihi, Viri humaniſſimi, de materiâ ſupra vires qualicunq; modo diſſerenti, & feciſtis animos, & feliciter adſpirâſtis. Proquâ quidem officij plenâ voluntate maximas vnicuique ago gratias, maiores etiam habebo

bo ſemper. Dixi de ornamentis duntaxàt animi, iiſquè paucis, & ad temporis, & ieiunitatis meæ anguſtias indignè habitis & contractis: quòd ſi lineamenta pariter corporis quædam attexere licuiſſet eximiâ venuſtate conſpiciendi, næ iſta prima virtutis præconia in natiuo vaſe atquè receptaculo ſuo, perindè atquè pretioſæ gemmæ in auro obryzo illigatæ, ſi minùs efficacitate ſermonis, at certè ratione ſodalitij commendata, longè magis reſplenduiſſent. Quorum tamen ſummam ex particulâ, quam ſubijciam, volo deguſtetis.

Erat enim LEO cùm formâ, tũ ſpecie, tũ ſtaturâ deniquè appoſitâ omni ad venerationem. Proceritas illi, qualem Heroïbus ferè pictores affingunt, excelſa conſtabat: habitus corporis ſuccoſus potiùs, quàm pinguis, & quidem per artus ſingulos gratâ proportione diffuſus: teretia directaquè crura: manus candore figuraquè niueæ, & quaſi tornatæ: vna capitis amplitudo cętera membra enormi propè exceſſu, nec tamen aliter, quàm velles, ſuperabat. Ex ore ſuauitas afflabatur tanta, nihil vt vltrà: cæſij oculi, & admodùm acuti: naſus

leni-

leniter decliuis : turgidula labra : quid loquar de vultu toto, de voce, de gestu, de incessu? plenissima cuncta maiestatis.

Vndè mirum profectò non debet videri, vel quòd euoluto pueri natali die planè fortunato, liberalissimaquè personæ inspectâ specie, Marsilius Ficinus, nobilis physiognômon illius temporis, sacrorum ei principatum, cùm nullis dùm initijs esset sacer, prædixerit: vel quòd ipse tam præclaris munitus optimæ naturę prędidijs iam Pontifex Maximus à Senatu Populoquè Romano marmoream statuam cum elogio post conditam Vrbem honorificentissimo, propter incredibilia & perpetua merita atquè beneficia in omnes ordines, meruerit solenni decreto dedicatam in Capitolio, ad memoriam posteri temporis sempiternam. Proferatur exemplum sanè perdisertæ inscriptionis, palamquè hoc loco recitetur:

OPTIMO PRINCIPI, LEONI X. MEDICEO IOANNI, PONT. MAX.

Ob restitutam instauratamquè

quė Vrbem, aucta ſacra, bonaſquė artes, adſcitos Patres, ſublatum vectigal, datum congiarium, S.P.Q.R.

Prò Deus immortalis! quantum bonorum quàm paucis verbis modo Chilonio comprehenſum! Voces ſingulæ, nè dicam facta, ſingulis orationibus benè longis duci mediùs-fidiùs & extolli à Cicerone aliquo vel Demoſthene pro dignitate deberent. Ego, quod ad me attinet, ſupra infraué titulum pulcherrimi monumēti cùm habeam nihil, quod adiungam, ſummèque cupiam in eo pro coronâ finis conſiſtere, rapior tamen retrò, & adhæreſco tantiſper ad illa verba; Ob inſtauratam Vrbem, auctaſquè bonas artes.

Hîc res agitur veſtra, *Patres*: hîc vos etiam, *Doctores*, deſignati eſtis. Alteris Vrbis reſtitutæ primam partem, quam equidem interpretor eſſe hanc florentiſſimam Academiam, demandata moderandi cura eſt, quod fit & acriter & diuinè;

nè ; alteris reipublicæ benè constitutæ primum munus, sine quo nè resp. quidem possit esse, scilicèt ad optimos mores & disciplinas eruditionem iuuentutis, quod præstari etiam diligenter & studiosè video mirari gentes omnes, labor inibi sustinendi. Macti estote vtrique solicitudinis istâ & virtutis laude singulari, tantiquè auctorem honoris & gloriæ vestræ, dignâ memoriâ atquè celebratione, assiduâ priuatim quidem & decente, publicè verò magnificâ & annuâ, prædicando amissum, vt facitis, recognoscite LEONEM. Hortarer etiam ad dolorem continuum, & ad planctum, & lachrymas, propter iacturam vnius post homines natos longè optimi Principis, & liberalissimi Patroni; nisi hodierno die longo interuallo ALEXANDRI successio impediret. Regnat ALEXANDER, regnetquè precor Nestoreos annos, vt nomine æquè magno, sic & pectore, & animo ad res gloriosas Maximo in æuum omne Pontifex decantandus. De cuius admirabili sapiētiâ, pietate, doctrinâ, grauitate, vigilantiâ, &, quod huius loci præcipuum est, erga Collegium nostrum

ar-

ardenti studio, ac sumptuosâ largitate, satius est nihil, quemadmodùm inquiebat ille de Carthagine, quàm parùm dicere. Nec verò opus est verbis, vbi testimonia tot rerum, tamquè illustria loquuntur. Vrbs decorata clamitat; redintegratus orbis vociferatur vniuersus. Concludam ergò cum LEONE. Quod in Circo iactabatur olim ad supplicium & infamiam nocentium & miserorum, id nunc, omniquè ætate consequenti, siqui scientiæ, religionis, & vllius omninò ornamentum honestatis adipisci volent, hâc audient ex Palæstrâ permutatum in gratiæ decus & honoris conclamari,

AD LEONEM.

DIXI.



IACOBI ALBANI

GHIBBESII,

in Romana Sapientia Rhetoricorum Interpretis,

FVNEBRIS ORATIO,


LEONI X. P. M.

MEDICEO PRINCIPI,

PARENTI OPTIMO

Iusta inter anniuersaria, & Sacra sollennia eiusdem Lycei, noua in AEde,
V. Kal. Mart. M. DC. LXI.

PVBLICE DICTA.





ORATIO III.

AD

FERDINANDVM II. MAGNVM DVCEM HETRVRIAE.





VOD precatus sum à rerum omnium moderatore, huiusquè Collegij & studiorum nostrorum præside ac tutore Deo, quotiescunquè mihi de Leone, Pontifice Maximo (cuius prolixæ liberalitati totum hoc literarum & otij referimus acceptum) pro concione quotannis dicendum erat; vt ea laus Principi, æternâ memoriâ nominis, & perpetuâ gratiarum si minùs solutione

præſentium, at certè debitarum prædicatione digniſſimo, regificè dignequè tribueretur: id votis hodiè primùm diuino beneficio, deindè incredibili regnantis ALEXANDRI ſumptu, & conſilio, & virtute conceſſum ac donatum eſſe, maximè lætor, Auditores. Prodibit iam nõ tanquàm è ſpeluncâ, ſic ex anguſto atquè obſcuro gurguſtio, quod iſti hactenùs præconiorũ tributo deſtinabatur propter inopiã Templi, ſummâ cæteroqui in ſtructuræ, quantùm ad docendi diſcendiquè munus attinet, elegantiâ & laxitate; prodibit, inquam, poſthàc Leo ſuis coloribus ſpectabilis in apertam lucem, locoquè venerandus conſidebit haud impàre maieſtati. Sinite me per luctum veſtrum, Auditores, à ferali Libitinæ pompâ, quæ, quamcunque ĩn partem obtutum conijcio, ferit oculos, ad iucundiorem ſpeciem, comitibus vobis, eos tantiſper cum mente vagando traducere.

Eſto meta intenſionis hæc ipſa recentis fabricæ, ac nouæ formæ & famæ ſuperba moles, in quâ nos primi non ſine honoris prærogatiuâ dicimus, ab Alexandro, ſu-

premo Sacerdote, atque adeò gentium omnium domino ac magistro, Diuis præstitibus in sacrarium, amœnis Musis, atquè orbi disciplinarum seueriorum in sanctioribus officijs ad vsum & coronam, cùm magnificè extructa, vt videtis, tùm verò suæ nuper declaratione præsentiæ, quod stupuistis, perquàm religiosè consecrata. I nunc, immodici cuiusdam amoris erga literas & literatos in maximis Principibus admiratrix vetustas. Ptolemæum desine Philopatora prædicare Ægypti regem, aut Mithridatem Ponti; illum, quòd Homero templum posuit, hunc, quòd Platoni statuam erexit, egregium Sylonis opus, inciso etiam in basi nomine: parce Pompeio laureato nimiùm deferre, clarissimo imperatori, propter eius benignam Rhetorum & philosophorum audientiam Rhodi & Athenis: nec illa victoris acta Macedonis inter armorum strepitus, cladesquè hostium, & opimas manubias, extolle plus æquo amica pacis, vt quomodò capto inter spolia Darij, Persarum potentissimi regis, vnguentorum scrinio, quod erat auro, gemmis, ac margaritis pretiosum, libros

modò laudati Homeri, quos tanto dignos loculo exiſtimabat, incluſerit; vel, cùm euerteret Thebas, atquè in ciues temerè ſine vllo delectu ſæuiret, Pindari vatis penatibus abſtinere militem ſpe prædæ manus, & in victoriæ curſu auertere ferrum iuſſerit; vel, quòd pro Mineruale, grati animi teſſerâ, præceptoris ſui nomini ac memoriæ Ariſtotelis condiderit vrbem, hominumq; ei multa millia ad parendum, rerum cùm ſcriberet commentarios naturalium, paratiſſima ſubiecerit. Vicit hæc, vicit vniuersè noſter hodiernus Rector vno ſolo, ſed raro, ſed magnanimo, ſed poſt conditam Vrbem inaudito ſpecimine comitatis, & clementiæ tot exempla ſingulorum. Ita nimirũ Alexandri propriũ ſemper fuit, res ſupra hominem præſtabiles, ac heröum generi tribuendas & moliri, & gerere.

Agè verò, reuocabo vos ad iucundiſſimam recordationem proximi temporis, quod prefectò ſine inexpiabili flagitio nũquam obliuiſci poteſtis. Ecquæ lux orietur inpoſterùm cum illâ comparanda, quæ poſtridiè Id. prçteriti Nouembris huic Academiæ multo manè, veniente ipſo cum ſuis

ſuis Purpuratis, adminiſtris regum, & proceribus Vrbis, lætiſſimè affulſit? ſic quidem, vt ſolum medius-fidiùs vbi inſtiterat, atrium quà tranſitus ædi ſacræ ſucceſſerat, tota ædes quam ſolenni tunc ritu effatus eſt, parietes omnes quos aſpexit, altare cui litauit, tholus qui operuit; indequè cùm digrederetur, aſcenſu facto ad maximam aulam, doctorum facultates auditurus, ſcalarum gradus illius non oppreſſi, magis inflati veſtigijs, porticus ducens viã, exedra tantâ gloriâ, quantam nè ſperare quidem potuerat vnquàm, circumfuſa; ſubſellia, ſuggeſta noſtra; ſed multò maximè propiore tactu honorata Sedes ipſa Pontificis; ante receſſum deniquè ſpatium faſtigio in eodem illud omne aulæ interiectum & bibliothecæ, quam breui dixeris Amalthęam, delicijs & amoribus doctiſſimi Principis, cuius potiſſimùm, & templi gratiâ nos inuiſit, quippè vtriuſque ſuæ (nunc alia vt ſileantur hùc collata beneficentiæ monumẽta quàm plurima) Leoninis ſcholis ampliſſimæ acceſſionis: veluti xyſtus, intercolumnium, teſtudo, pauimentum; tùm vaſtitas bibliothecæ, armaria libro-

rum, laquear tectorio opere affabrè concinnatum & productum, fenestræ, telamones, pergulæ, mœniana, cæteræ proiecturæ, collucere adhùc à tanti Solis vel iactu radiorum, vel à splendore virtutum relucere videantur. Quàm illud aptè personæ cælestis descriptum signum à summo poëtâ conferri in eum ex merito potuit, dùm eas gratiæ tam singulares beneficijq; partes obiret, diuinus decor, & oculi ardentes! vndè extitit illa omnium admiratio, quotquot adfuerunt;

——— *qui spiritus illi,*
Qui vultus, vocisq; sonus, vel greßus eunti,

ex insequenti versu contemplantium. O factum memorabile! ô lætum diem, atq; fortunatum! & Capitolinis non modò fastis inserendum, verùm etiam inter gentes vniuersas & nationes ad æternitatem gloriç propagandum!

At facio-nè ego ridiculè magis, an inconsultè, qui flebili monodiâ defuncto Leoni, patrono quondàm huius Lycei præcipuo atquè amantissimo, parentare ingressus, ad quem finem lugubre istuc omne funeris choragium adornatum, Pyramis primùm

mùm ſepulchralis in medio excitata, deindè ex ordine cerei caliginoſo circùm lumine ardentes, tot ſimulachra mortis vndiquè affixa, pullis periſtromatis obducti parietes, ara cum ſacerdotibus ad luctum comparata; preces inferijs opportunæ, ſymphonia (an leſſus?) miſerabilis, veſter iſte frequens conſeſſus cum tanto ſilentio, niſi quòd effractis interdùm ſuſpirijs auditus innoteſcat, hoc agens vix perceptâ præſentiâ; quę me cuncta commonefaciūt mœſtiſſimi officij;nihilominùs Alexandrum, parentem alterum, ſaltans extra chorum, feſtâ laudum panegyri viuum & videntem tollere in cœlum haud prorsùs opportunè, vt videtur, contenderim? Non enim deerit argutulus aliquis literator,qui cum irriſione adunci naſi,vbi placidis immitia coire per intempeſtiuam eloquentiam animaduerterit, pluuiumq; deſcribi arcum (vt loquitur, vetatq; præceptor Venuſinus) in eluuione Deucalionæâ ſenſerit,inculcet grande ſophôs,eugè, bellè; ſub exceptione tamen,ſed nunc non erat his locus. Quî non erat locus his? dic nunc ſodès, Mome mi: ità nec aërem vo-

lucribus, nec piscibus aquã euiceris aptam esse vel naturalẽ. Quî non locus? cùm vtriusque Põtificis virtutes eo pręsertim in genere doctrinę studia promouẽdi, cultoresq; literarum honestandi, & verò nominatim hoc ipsum emporium ingenuarum artium stabiliendi & illustrandi, fuerint perpetuò tam similes, vti laudes vnius sine præclarâ quâdam laudum alterius celebratione propter implicitam & permistam conuenientiam efferri aut commemorari nullo modo possint. Bonum factum igitur: neque ideò prudentis cuiusquam reprehensionem verebor, quòd Leonis iacturæ, quam fecimus, magnum quæstum qui in successore consecutus est, hoc est, lamentabili nænię ob illum nobis ereptum, de Alexandro ad nos eosdem è cęlo demisso, vocem aliquam gestientis gaudij paulò hilariorem subierit, quasi Pæanem, accinere. Mereris, Alexander, hymnum profectò istum ex eodem puluinari sumptuosissimi tui templi accipere, quod virorum fortium, hominumq; sanctissimorum gestis gloriosè rebus decantandis summâ religione addixisti. Quoties illorum pulcherrima facta

refricabuntur, totiès ingentis animi tui, totiès sapientiæ, virtutis, felicitatis mentio fiet, ac pergrata excitabitur recordatio.

Quid expectatis, Auditores, (vt me referam ad Leonem, præcipuum finem institutæ laudationis) dùm fortasse nigro apparatui, & denicalibus hisce sacris concolor abs me sermo, tristis & lãguens, proficiscatur? Gaudeant extremo isto vel honore, vel solatio, vulgares & obscuri manes, quorum cum interitu simùl extincta terræ huius periêre bona omnia, non eorum, queîs diuina merita sua, præstansquè acbenefica natura vitam alteram non solùm apud Cœlites beatitate refertam, sed etiam inter homines gratos ac memores famâ vsquè beneuolentiaquè florentem iustè peperit nullo tempore cessaturam.

Talis erat LEO Mediceus, Pontifex Maximus, heroi ante se nulli secundus, licèt decessoribus eiusdem nominis ordine Decimus, de cuius laudibus, hæc quidem inter Musarum vmbracula certi Apollinis, nulla vnquàm ætas conticescet. Vt sanè tumulum istum, qui mortuum repræsentat, intuear stomachosiùs, nec profectò sine

inuo-

inuolutæ ſuſpicione falſitatis poſſim ferre: quemadmodùm nequè Callimachus olim Cretenſium æquo animo ſuſtinebat credulitatem, ab Euemero Meſſanenſi quamuis theologo rem & ſcriptam & perſuaſam, Iouis ſepulchrum inter ipſos in oppido Gnoſſo perſtitiſſe. Nec verò aſtruebat quicquam vetus inſcriptio exeſis Græcis literis appoſita Ζεὺς Κρόνου, id eſt Latinè, Iupiter Saturni filius, ad faciendam fidem; cùm id totum potuerit eſſe ſimulatum: ob idquè, opinor, doctiſſimus poëta in Hymno ad Iouem Cretenſes vocat mendaces ſemper, qui Iouis oſtendant monumentum, cùm nunquàm ille obierit, perpetuoq; ſit. Affero carmen: hocq; libentiùs, quòd verſiculi etiam prioris hemiſtichium D. Paulus vſurparit:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Vani ſemper Cretes, inquit; etenim ſepulchrum, ô Rex, tuum Cretes extruxerunt, tu verò tantùm abeſt vt interieris, viuis ſemper. Addite enimuerò ſpecioſum & vos titulum, Quirites, iſti pyræ, quam ſtruxiſtis; promineat emblema LAVRENTII LEO

notis

notis maiuſculis ad eandem ſimilitudinem pro epitaphio annexum : non ego vos authores egregiæ molis futiles appellabo : ſuadet hoc grati animi memoria fidelis, monet debitum, &, quod caput eſt, religio iubet : ſed ipſam molem nemo tenebit, quin appoſitè cum Græcis Cenotaphium dicam, interprete Marone, tumulum inanem; quandoquidèm non ibi Leo continetur, haud aliàs mortuus; viuit ille, atque ità viuit, vt, ſi non ſpiritu, at virtutis igne animatus, nullo vẽturi decurſu temporis propter continuam admirationem hominum & ſermonem videatur eſſe moriturus.

Verùm quæ virtus in eo tanta prædicationem tam mirabilem atquè perpetuam ſuſcitauerit ali quandò, foueatq; porrò indies magis apu d poſteros, niſi vobis expoſuero, murem credar pro leone, vt dicitur, oſtendiſſe. Quæ virtus autem? ô immaturæ abortum vocis! quaſi partem illi aliquam, non verò totum genus, quàm latè patet, attribuendum putem : immò auſim affirmare, nullam differentiam virtutis, aut affectionem ab Ethicis tam ſubtiliter conſtitutam inueniri, quâ non animus eius penitùs

nitùs insitâ, vltrà quàm credibile est, mirum in modum decoratus effulserit. Quod nè dubitare quisquam possit, magno est argumento summum præmium, honoris Pontificatus Maximus in terris apex ad vnum ipsum, iudicio studioquè Patrum Conscript. supra ætatem, supra consuetudinem, supra etiam propè dicam mortalitatem, in plenis ac iustis comitijs, sine vllâ controuersiâ, ferè absque competitore delatus.

Hoc loco percommodè accidit, Auditores, tùm ad vestram subleuandam patientiam, tùm ad meam ipsius tarditatem ingenij tantis in rebus obtegendam, quòd prætermissis primæ ætatis rudimentis, intacto flore adolescentiæ, spe & expectatione iuuentutis non expressâ, statim in viro præcox mihi necopinanti occurrit illius fructus, quem dixi modò, supremi Pontificatus, oratione delibandus. Ità occasio tulit nempè opportuna, nunc vt differrem; quandoquidem illa specimina diuinæ cuiusdam indolis à me fuêre tanquàm præludia vicariæ cæli potestatis, alijs concionibus exaggerata sæpè vehementer. Quo

ex

ex illuſtri fundamento cæleſtis primùm præſidij, tùm naturæ benignioris, deindè naſcendi ſortis ad clariſſima quæque habilis & inexhauſtæ, pòſt aſſiduæ doctiſſimorum hominum inſtitutionis, tùm firmitatis corporis atquè induſtriæ animi vegetæ in perſequendis ſtudijs, poſtremò voluntatis æmulę domeſticę gloriæ, cupidęq; maioris, faſtigium illud tantum, ac tam excellens eſt erectum, quod ſuſpexit orbis vniuerſus. De quibus optimi Principis ornamentis ſic, opinor, ſinguli etiam tunc vobiſcum ipſi ſtatuiſtis; nequè eum, qui auguſtiſſimo huic domicilio imperij, religionis, honoris, arciquè gentium omnium, præfuturus aliquandò eſſet, aliter informandum fuiſſe: nec qui ità eſſet informatus, non eidem præfici tandem cunctis populorum haudquaquàm per tabulam, ſed viuæ vocis ſuffragijs, atque adeò plauſibus decuiſſe. Dixi iampridèm (quod communi nunc vſu receptum eſt, vt fiat in laudatione clarorum virorum) non de ſingulis tantùm gradibus vitæ Leonis, verùm de ſignis quoquè, atquè prodigijs diuinitùs oſtenſis, quæ naſcentis ortum præceſſerunt.

Nunquam cœlum laborauit pro nihilo; magnum quiddam, & inusitatum portendit semper. Achilles, Pyrrhi, Cæsares, Scipiones, Hercules ita generati & suscepti, præuiam similiter declarationem instantis discessus à Superis habuêre. Ingentes animæ propriâ vt curâ summi opificis procuduntur, ità nec communem naturæ cursum irrogato priuilegio sequi solent. Quid multa? Heröum alia est conditio, & hominum. Illis haud secùs, ac benignis astris, plausus debetur nascentibus atquè gratulatio, his in calamitatum salum proiectis fletus & commiseratio: rursùm illos fato perfunctos & remigrantes ad Beatorum cognatum cœtum Apotheôsis excipit, diuinorum facinorum & memorabilium auctores, hos cùm mors oppressit, eadem sepultura, quæ corpus, etiam eórum plerumquè nomen, & memoriam factorum omnem contegit.

Quid vobis videtur, Auditores? connectite quamlibet insecutæ partem vitæ huius, quem celebramus, inclyti Principis, cum monstroso principio, quod antecessit ortum; percurrite singulas ætates;

reuo-

reuoluimini ad præstantissimos actus, quos aliquandò me narrante stupuistis: dubitabitis, credo, nec erit vlli satis procliue dictu, quid statuendum sit, vtrùm è luto illum nostro ac putri genere hominem, an verò celsiore quadam satum origine, lectaq; portione atq; reconditâ cælestis aurę conflatum Heröa iudicetis fuisse. Dixi de vetustate familiæ, atq; amplitudine Medicei nominis cùm proprijs copijs & honoribus illustri, tum exteris regum affinitatibus longè magis insignitâ: super basim adeò præclari sanguinis ego statui, ceù trophæum, Leonis pueri optimam indolem, cui postmodùm ipse vix adultus, in primo limine videlicèt consistentis ætatis, non minorem, quàm Romani Copitolij, pro cono triumphum summus Pontifex induxit. Proh sancta fides! ô meritorum prouidentia numinis, ac remuneratio singularis! & credet hoc quisquam, & credens non mirabitur, & mirans non obstupescet, itáque defixus non colet sacro silentio, aut ægrè tandem voci factâ viâ, non exclamabit, Rarissimum miraculum? vt, quò supremæ dignitatis, atq; honoris

alios

alios quamuis longa vita, rerumquè vſus maximarum, & ſumma prudentia ſenes vix perducit, tuncquè vnicum duntaxàt, veluti phœnicem; is annorum triginta & ſeptem iuuenis, exemplo penitùs inaudito, tantum culmen ſolâ commendatione ingenij, virtutis, grauitatis, hominibus ac Superis plaudentibus, aſcenderit. Mihi certè rerum annales publicarum ſtudioſiùs perluſtranti, atq; hoc immane promeritorum Leonis monumentum perpendenti, confundunt mentis aciem diſpar cogitationum ſpecies, ac figuræ ſubindè gigantum inſtar formidabiles, animiquè ſenſis ſubtrahũt verba, verbis argumentũ, argumento diſpoſitionẽ, diſpoſitioni artem.

Quid agam, Auditores, quò me vertam in immenſâ rerum ab eo geſtarum varietate, neſcio: cùm multa dixerim, nondùm inſtitui principiũ orationis, cùm reſtent infinita, nunquam reperiam exitum. Itaq; ceſſent illæ rhetorum glorioſæ cantilenę, materiæ copiâ exultantium: hæc ſeges eſt, hic campus, hoc ſtadium, in quo excurrere, atquè vbi iactare ſeſe quamlibet magnificè, ac triumphare poſſit etiam infan-

tis

tis & indiſerti facultas oratoris. Expertus in me loquor, cùm nulla ſe cuiquam obtulerit argumenti maior vbertas atq; felicior, tùm ex abundantiâ nimiâ laudum, perindè atq; ex horto florum refertiſſimo, quid potiſſimum carpam, laborem fieri ſeligendi. Veruntamen in curâ tam ancipiti gratiam habeo temporis anguſtiis circumſcripti, propeq; iam elapſi. Saturnus enimuerò alatus, vt tragicus Deus è machinâ, opus erat, qui nodum expediret. Sufficiet mihi huius beneficio expectationem veſtram comparēdinatûs formâ promittendo mitigare, In alium diem.

Nunc quod inſtat, noſtraq; refert præcipuè, abſoluamus. Ac cæteræ quidem virtutes eiuſdem longè lateq;diffuſæ communicabantur cum quamplurimis, hæc, quam prædicare aggredior, tametſi erat in alios quoquè homines libenter inſumpta, nihilò tamen minùs ita nos propriè ſingulos attingebat, vt intra ſolos almæ Sapientiæ parietes concluſa videretur. Ad ſe rapit illa, illa omnium conſenſione mortalium præſtantiſſima virtus, ac vim & rationem eloquendi omnem abſorbet

vna, quæ in eo præſertim eluxit, animi ad ingenuas artes flagrans propenſio quędam, & liberalitas ſingularis. Non conſector longinqua aut recondita; id enim foret vltra anni Soliſquè vias peruagari ſine fine, ſine metâ: faciam palęſtritarum more: ſicut enim iſti pancratium, celebres illos quinque Græcorum ludos Olympiæ, vnâ in vrbe Peloponneſi exercebant impoſitâ victori ſemper coronâ; ſic equidem per hæc Panathenæa, in quibus Mineruæ peplum certatim tollimus, intra cancellos ſolius Romę, lucis Italiæ, ac terrarum arcis, me continebo, dùm inibi non quinque, ſed innumeris trophæis tanti Pontificis aſpectandis theatrum pono: nec propterea ſerto dignus vllo, cùm vt maximè ipſum collaudâro, minimam tamen elogij partem ſim putandus attigiſſe. Quis, armorum ſtrepitu cùm linguæ & morum barbarie amoto, iucundiſſimam rerum pacem, vrbanitatem, literaturam Quiritibus reſtituit? Leo. Quis Bembos, & Sadoletos, & Beroaldos, politiſſimi ingenij & perfectæ eruditionis homines, in lucem, & ad magnos honores euocauit? Leo.

Quis

Quis bibliothecam Vaticanam adauxit, conquisitis vndiquè indè ex Oriente vsquè voluminibus,publicęq; commoditati proposuit? Leo. Quis florentissimum hoc gymnasium, Musarum domicilium, officinam Sapientiæ, bonarum artium sedem ita fundauit, vt nequè Bononiensi, nequè Antenoreo, neq; etiam Oxoniensi aut Parisino, vel doctorum præstantiâ, vel concursu discipulorum concedere videretur? Leo. Quis eidē pòst fundato certū censū & annuum, accitis verò lectissimis Professoribus scientiarū (& liceat sanè hoc loco mihi cum vestrâ bonâ veniâ, Patres & Collegę, nonnullos honoris causâ nominare) Hieronymo Butigellę prudentiæ iuris, Christophoro Aretino medicinæ, Augustino Suessano philosophiæ, suggesti mei moderatori Iano Parrhasio, linguę Gręcæ Calchondylæ Basilio præfecto; quis his, rogo, peramplum ex ærario & stipendium & auctoramentum addixit? Leo. Quis singulos vel mediocris etiā nominis poëtas, cunctosquè generatim eximijs & nobilioribus instructos disciplinis tantâ benignitate suscepit, vt omnes iam signo dato, &

 exci-

excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur? Leo. Quis deniq; Augusti Cæsaris beatũ æuum, vnoq; verbo ætatem auream Vrbi & orbi redonauit? idem ipse, religionis & munificentiæ inimitabile exemplar, maximus Leo.

Quapropter non ob spem iam conceptam, sed ob probatam experientiam felicitatis, ab eruditis id carmen in arcu triumphali ad Hadriani pontem est inscriptum, quo superiorum temporum mores, præùt tum vita fuit, lepidissimè notabãtur:

Olim habuit Cypris sua tempora: tempora Mauors
Olim habuit, sua nunc tempora Pallas habet.

Hæc eius benemerendi prolixa de Rep. literariâ, gratificandiq; ijs voluntas, qui studerent, cætera seu naturæ, seu fortunę, siuè animi ornamenta sic lucis suæ splendorę complet atq; amplectitur, vt contuentium oculos, non quia maior præstantiorquè reliquis (nam quid poni debet in summo illo viro inæquabile?) sed quia iucundior & gratior est aliquo radio affectis, in sese vna propemodùm conuertat. Hæc alijs quidem clarissimis dotibus gene-

rosæ mentis debitum, sed huius vnius præsertim beneficio vindicatum & assertum, ipsi suæ virtutis optimè conscio per emblema Leonis nomen optione propriâ, orbe verò interprete vniuerso Magnanimi cognomentum attribuit: vt quod pauci (fas esto de Heröe memorantem heroicis vti versibus diuini Maronis) quod immortalis gloriæ decus per, inquam,

——— pauci, quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Dîs geniti potuêre ———.

demoliendis atq; euertendis oppidis, expugnandis prouincijs, profligandis exercitibus, cruore hominum ac cæde difficulter inuenire, id ille mollissimo brachio, protegendis suis, adiuuandis etiam hostibus, liberandis ciuitatibus hæresum monstris, denunciandâ doctrinæ synceritate, coërcendâ luporum rabie, tutandis ouibus, ac prohibendâ internecione quęreret. O proclarum custodem ouium, non sicut ioco & præter fidem solebat olim dici, lupum; sed sermone serio atquè verissimo, patrumq; nostrorum oculis reseruato mirabili spectaculo, celebrandum Leonem!

Intellectum est satis jam superq; ,Auditores , non dicam è iuba aut armo , id est, è sanctiore illo vertice pontificiæ dignitatis , quantus fuerit Leo ; sed vel ex vngue,quē proposui vobis, literaturæ nempè patrocinio , fibrâ vnâ duntaxàt amplissimi pectoris , cognoscere potuistis . Itaquè illa grandiora facta maiestatis & potentiæ, adde etiam si placet sanctitatis,libens alijs ingeniolo meo diffisus relinquo celebrāda, nè culpâ vllâ deterantur ; nos partes agamus nostras(Patres & Collegæ)quas optimè percipimus, quas deberi scimus, quas negare sine scelere non possumus , diuinam ipsius sapientiam Romanæ huius Sapientiæ nomine , quibus licet grauissimis verbis , candidè & nauiter extollentes . Doctissimis in Græcia hominibus placuisse legimus, tùm demùm ciuitates & imperia felicia fortunataq; fore , cùm eorum moderatores optimarum artium, præsertimq; philosophiæ, studijs essent exculti . Quod Platonis , opinor , decretum hactenùs à discipulo reprehenditur,vt principes valdè quidē eruditos ipsos esse neget oportere ; quòd id & otij nimiùm exigat , &,si vehemen-

menter fiat, non ſatis afferat dignitatis. Optandũ illud verò, vt, quod in ſe minùs habent, id in alijs adamare cõplectiq; velint, & ad eius cupiditatem honorũ ac præmiorum illecebris inuitent, quammaximè poſſunt. Leo Põtifex, tametſi hæreditario quodam iure tranſmiſſo à maioribus, præcipuè Coſmo proauo, & Laurentio genitore, in omnem ſcientiæ fundum, tanquam poſſeſſionem propriã inuolâſſet, ab ijſq; ardentis & rediuiuæ virtutis lumen per manus, vti in ſtudio curſores veteres lampada ſequentibus tradere ſoliti erant, iuſtiſſimâ ſucceſſione accepiſſet, atque adeò Græcæ, Latinæ, ac Etruſcę linguæ lautitijs eſſet eleganter, vt nihil ſuprà, perpolitus, nihilominùs tutelam ſic poſteriorem arripuit, ita literas ac earum ſtudioſos colere omnes, ita fouere, ita augere & honeſtare perrexit, vt ad rem natus aliam nullam, nec alio fine tantas opes, tantamq; gloriam conſecutus, præproperâ cęli benignitate trahentis, videretur. Nam, vt omittã alibi alia cõmunis eius præſidij plurima & maxima monumẽta, quid aliud Romanam omnem Academiam, atq; iſtas adèo Sapientiæ nobiliſſimas

ſcholas eſſe dicã, quid hanc quotidianam diſcipulorum atq; frequẽtiſſimam vndiquè confluentium celebritatẽ, quid doctorũ & præſidum, hominum clariſſimorum, aſſiduitatem & vigilantiã, niſi fontẽ veluti quendam ac ſeminariũ perennis eiuſdem beneficij, ſpeculum bonæ mentis, amoris reliquias, pignus voluntatis, ſplendoris imaginem, præſentiæ notam minimè defuturæ?

Quamobrẽ nouiſſima connectã cum primis aliquãdò. Non tumulũ ego iſtum Leonis credam vnquã funalibus circumſeptũ: faceſſat dolor, ſi quis adeſt: ſed lucentem Pharum cenſeo; & hoc proiectu luminis ad tranquillitatem bonarum artium iuuentutem omni ex parte cõuocandã. Pręclarum meherclè, bonum eſſe, doctum eſſe; præclariſſimum, alios facere, cùm ipſe fueris. Vterque fuit Leo, & vtumq; fecit. Vt hæc vna, ſi cæteræ laudandi cauſæ in illo deficiant, abundè exornatũ infinitæ ſeculorũ poſteritati commendet. Hæc vna certè merito perficit ſuo, vt naturæ gratias agamus, quæ talem genuit, in virtute lętemur, quæ Pontificem fecit, ætati vel ſuperiori, vel noſtræ gratulemur, cui tanto bono perfrui licuit,

cœlo demùm inuideamus,quod illum iusto citiùs è terris auocauit. Vix enim aliquot paucos menses supra octauum annum in Pontificatu vixerat, qui nunquàm mori debuisse videbatur. Sed quid ago? abrepti cogitatione reuoluor eòdem, tanquàm ad mortuum.

Non obijsti,abijsti,magnanime Leo:non exuisti vitam, mutauisti,sanctissime Pontifex: non decessisti, parens noster custosq; optime,tantùm recessisti: clientũ precibus tuorũ, quoties te cunq; sollicitauerint, seù ad vsum,siuè ad auxiliũ semper adfuturus. Viuis etiamnùm, viuesq; perpetuò in pulcherrimis operibus tuis, in animis & cordibus nostris, in oculis posterorum, in securitate æternitatis, quoàd hominũ genus erit, vsquedùm stabit Capitoliũ, quamdiù pretium literis,honos sapientiæ habebitur, postremò quantum coæuæ Superis durabit nomen beneficientiæ.

Nos interim,Auditores, de tanto Heröe statuamus, quod Indorũ Brachmanes philosophabãtur olim, vitam istam esse veluti conceptorum in vtero statum,mortem autem partum ad veram vitam. Quam sen-

ten-

tentiam exemplo ſuo dux inter Thebanos fortiſſimus egregiè ſanè confirmauit illis verbis; Non finis, commilitones, vitæ meæ, ſed melius & altius initium aduenit. Nunc enim veſter Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur. Fuiſſe Leonem hæreat nobis in animo potiùs, quàm non eſſe. Patronum agnoſcamus inter Cœlites, fruamur hîc eius beneficijs: cogitemus ipſum nequè ademptum ſuis, nequè orbi quamuis iuuenem citò præreptum, qui ſpatium perficiendi id, quod benè cogitauerat, habuit; nec vocari poſſe breue tempus, quod totum eſt in perpetratione rerum maximarum gloriosè conſummatum. Vt repugnet natura, doloriq; humaniter indulgeat ſuo pro iactura & deſiderio chariſſimi Principis; recreemur tamen hoc tempore præſertim, & putemus Philippi nos fomento Macedonis ab eo demulceri, tanquàm ſingulos deſupèr ſic affatus conſoletur; Non abſum, nec abero, quià pro me habebitis ALEXANDRVM.

DIXI.

BER-



BERNARDINO CARD: SPADÆ
EPISCOPO PRAENESTINO,

Domino ſuo clementiſſimo,

omnium honeſtarum Artium exemplo, ac præſidio ſingulari,

IAC: ALB: GHIBBESIVS, S. P. D.



IBIVM ingenuæ quendam ſtirpis (vt de Publicio taceam, itidèm ſimillimo, nè Homerici Glauci merear notam, qui ab æreis aurea minimè diſcernebat) Magno Pompeio fuiſſe perſimilem; regiquè Antiocho, Hieracis patri, vnũ ex proceribus, regij & ipſum ſanguinis, nomine Artemona, vultu, inceſſu, toto habitu deniquè corporis geminum loquuntur hiſtoriæ, ſic, vt permutata conditione, & hi in illis, & illi rursùm ſalutari in his facil-
limè

limè possent. Res omninò ardua est ad distinguendum par species, sed tamen gratus error: hocquè iucundior spectantibus audientibusuè, si naturæ quoquè eximiæ nitentis ad virtutem, fortunæquè adeò meritæ præclaris conatibus interuenientis æqualitas accesserit. Quòd si pateat adhùc longiùs, curratquè per familias inter se comparatas, tùm is demùm oritur Platonis amor, atquè hominum, qui vbiquè sunt, dignissima admiratio.

Tale siquidèm additum tali facere ipsum magis tale, tanquàm effatum è tripode, sumunt philosophi pro concesso. Ac medio sanè in genere summi illi duces Coriolanus & Themistocles, licèt loco & tempore disiunctissimi, peribentur (vt cum Plinio loquar) paralleli. Rationis exemplum verò vniuersæ haud scio àn aliud ex omni ætatum memoria suppetat tàm propinquum, vt Tu, *Patrone mi*, BERNARDINE SPADA, *Cardinalis amplissime*, cum LEONE MEDICEO, istius Decimo nominis, Pontifice Maximo, quà oris & corporis dignitate, quà insitę indolis æmulatione morumquè laude perfectorum, quà

vitæ

vitæ curriculo propè totius, & magnarum rerum illuſtri ſpecimine conflas.


Quæ cauſa profectò mihi fuit, vt Leoni nupèr parentandi gratiâ laudationem pro more noſtræ Academiæ quotannis inſtituto ſcribens, quaſi laudes concepiſſem tuas, de te ſemper cogitarem, tequè veluti propoſitum intuerer atquè exprimerem; eamquè tibi qualemcunquè ab exilitate ingenij mei profectam orationem indè vſquè dedicarem. Cùm enim oculos in perſonæ illam tuæ formam, atquè auguſtam ſpeciem conuerto, proceritatem, aptitudinem, elegantiam, maieſtatem; multoquè magis animum vbi penitùs tuum introſpexi, raras dotes contemplans diuinæ cuiuſdam virtutis indices, iudicium, ſapientiam, doctrinam, doctrinæ patrocinium, clementiam, vnoquè verbo, quo ego Leonem complecti totum ſoleo, magnanimitatem; tùm omninò temperare mihi nequeo, quin Plautinum illud ſeriò inclamem non ſine ſtupore maximo,

Ego hominem homini ſimiliorem nunquàm
vidi alterum:
Nequè aqua aquæ, nequè lacte eſt lacti, cre-
de

de mihi, vsquàm similius,
Quàm hic tui est, tuquè huius.

Te igitur offero tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, vt sibi quemque proximum, ità ferè acceptissimum atquè charissimum. Hoc speculum, cuicuimodi tandem est, certè repercussum aliquem eius otij, quo per te fruor, tanquàm donum immortale literarium, appendo ad columnam atrij tui; vtinam signum Phidiæ, simùl aspectum & probatum! Tu id tamen, pro singulari tua erga liberalia studia voluntate, libens volensquè accipies, animi mei, & virtutis testimonium tuæ. Æternum fortasse non erit, pono nihilominùs vt futurum. VALE.

Ex Musæo meo in ædibus tuis. Romæ, a. d. VI. Kal. Martias. ∞. Iↄc. LIX.



SFOR-



SFORTIAE PALLAVICINO,
S. R. E.

Cardinali amplissimo,

literarum bonarum omnium compoti,
& patrono,

IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS
S. P. D.



AVDARAM his diebus Heröa Mediceum, SFORTIA PALLAVICINE, *præstantissime Cardinalis*, florem illum delibatum Pontificum Maximorum, Leonem Decimum. Atque ità laudàram, vt, cùm humanę virtutis numeros explêsset omnes, eum etiam animalium regis, à quo mutuatus erat nomen, non re solùm æmulari præcipuas dotes, sed etiam longè multùmque superare ostenderim. Quam quidem orationem intra scholarum parietes Vrbis toti-

totius celebritate habitam, in Solem & puluerem mihi (quod dicitur) orbis vniuersi proferre cupienti, pro meâ perpetuâ consuetudine dedicandi res similes patrocinio & meritis alicuius præclari viri, eâ ipsâ in ratione, quoàd eius fieri posset, proximè conuenientis, Tu solus occurrebas, cui tantum honorem, vel meum committerem, vel haberem tuum.

Ecquis enim Pontifici propior, quàm è Sacro Collegio Purpuratus? hominum doctrinâ pollentium fautori, quàm omnis literaturæ gurges, & signifer? Leoni deniquè, cuius asciuit, Ioãnes alioqui Medices, generosã appellationẽ, quàm ex tot retrò seculis natiua Pallauicinæ familiæ atquè gentilitia, nihilò syluarũ & quadrupedũ ranno inferior, aëris Aquila & volucrum imperatrix? Hîc omninò locus foret opportunus vtriusque prærogatiuas inter se committendi. Facerem vtiquè, nisi breuitas epistolæ dissuaderet, vt quà Medices triplici proprietate Leonis summam in homines potestatem fuisset consecutus, tot ac tantis ex Aquilæ naturâ, vel etiam pluribus desumptis priuilegijs, tu Pallauicinus

æqua-

æqualis imperij dignissimus esse censereris. Satis ostendit ALEXANDER commune iudicium, diuinæ sapientiæ Pontifex, dum fugientem honores, quos iam reliqueras amplissimos, recusantemque gloriam, quæ tamen semper, tanquam vmbra virtutis, te sequi volebat, è priuata cellâ protractum nuper in curiæ luce, pullàque indutum veste Diui Ignatij sectatorem, in togæ splendore conchyliatæ, Patrum Conscriptorum sodalem, atque adeò fratrem suum, non sine ingenti omnium ordinum, ætatum, generum lætitiâ & gratulatione, iussit eminere. Et verò maxima tua & immortalia in Sanctam Sedem studia atquè merita, nominatim recentes Vindiciæ Concilij Tridentini iamdiù expectatæ, sic à te celeriter contextæ, tanto applausu gentium, quæ vbiquè sunt, lectæ & receptæ, prouocauerunt ad remunerandum quàm simillimo munere non inuitum.

Lupum in oratione Leonis vocaui Lutherum pari ratione naturalis odij, quod est aquilæ cum serpente, conuiciatorem illum *Suauem*, Cyrnæo melle virosiorem, iustissimè licebit, opinor, appellare draco-

 nem.

nem. At serperastrorum soboli seù lippæ, seù cœcutienti remedium, quæ est reginæ Auis charitas, si consanescere volet, ab ipsius felle promptum exhibetur. Id enim ad quamuis caliginem oculorum prodesse illitū docuêre medici magni nominis. Atquè hoc ab atramento voluminum tuorum, amaro quidē illo, sed salubri, vti res iam cœpit ire, cumulatè sperare decet.

Sed vel merâ veritate, quā de te ipso tectam velles, certè non laudatam, nimis offendo modestiam tuam; ad me reuertar, & reddam hac reliquâ parte causam dedicationis meæ. Quæ profectò, cur tibi potissimùm exilis ingenij qualemcunque partum inscriberem, non vna extitit. Multæ me ad id, & necessariæ rationes impulerunt. Illa communis primùm, debiti repræsentatio, quo me sodalitas doctissimorum hominum (quos ab excellenti pietatis expressione vocant *Iesuitas*) à puero deuinctum tenet, propter eruditionem literarum (nàm in his *Quòd placeo, si placeo*, vt cum Horatio loquar, *eius est*) vt apud te, totius thesauri veluti Quæstorē, cum professione gratiæ ex aliquâ parte deponeretur. Tùm exci-

excitauit altera rei tuę domesticæ propior, quòd ante viginti annos Londini, quò venerat Catholici Regis de rebus grauissimis extra ordinem missus cum Veladæ dynastâ Legatus, ob recentem vsum familiaritatis cum eo mihi in Hispaniâ contractum, potui summâ felicitate meâ Virgilio Maluetio, avunculo tuo, clarissimo viro, nauare totis decem mensibus operam interpretis. Neque verò, quod ago iàm hîc Romæ, minimum præbet argumentum. Siquidem Bernardino Cardinali Spadæ, domino meo, ità vis cupisquè, pro eius eximiâ suauitate morum, ac studiorum similitudine, vt alteri tibi.

Deniquè, vt in vnum concludam omnia, causa præcipua & peculiaris, constans tua & perspecta in me amando voluntas, æstimandoquè tricas meas, debet esse. Quid enim non exaggerâsti pluribus verbis, cùm proximè salutandi gratiâ te adirem? illud prætereà secretò dictum mihi, quod in sinu teneo & foueo, nè per rimam vsquàm effluat, Deus bone! quantos animos adiecit? Quamobrèm habebis, EMINENTISSIME PRINCEPS, hunc à me vicissim hono-

honorem & cultum hac qualicunque nominis tui commendatione persolutum: neque tàm, quid Amplitudini tuæ conueniat, quàm quid præstari ab homine possit curtæ suppellectilis, expendes. VALE.

ROMÆ, è Musæo nostro, 16. Kal. Mart. MDCLX.

FINIS.



ALIQVOT ERRATA CORRIGENDA.

PAg. 26. vers. 14. *Grecaquè*: Græcaquè. 66. v. 22. *prefectò*: profectò. ibid. v. 26. *cnm*: cum. 77. v. 17. *Copitolij*: Capitolij. 85. v. 12. *stadio*: stadio. 86. v. 19. *vtumq;*: vtrumq; 87. v. 21. *beneficientiæ*: beneficentiæ. 90. v. 17. *peribentur*: perhibentur. 94. v. 18. *ranno*: tyranno.

